Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/lnominibusdei0000leon

LEONARDI LESSII S. J.

OPUSCULUM ASCETICUM

QUINQUAGINTA CONSIDERATIONUM

DE

L. NOMINIBUS DEI.

IN TRES LIBELLOS

VIAE PURGATIVAE, ILLUMINATIVAE, UNITIVAE

DISTRIBUTUM.

EDITIO NOVA.

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
L567
Alma California

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
MDCCCLXII.

23992

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

R. P.

LEONARDI LESSII

DIVINARUM PERFECTIONUM COMPENDIARIA EXPOSITIO.

AD

MENTEM SURSUM ELEVANDAM, ET MAXIMARUM VIRTUTUM ACTUS FACILI MODO EXCITANDOS,

IN

TRES LIBELLOS

VIAE PURGATIVAE, ILLUMINATIVAE ET UNITIVAE DISTRIBUTA.

PROLOCUTIO.

Si homo in primaevo statu innocentiæ et justitiæ originalis perstitisset, non fuisset illi difficile coelestia et divina meditari, divinamque praesentiam semper prae oculis habere; et maximarum virtutum, ut fidei, spei, charitatis, religionis, gratitudinis, humilitatis, reverentiae, obedientiae, etc. functiones in animo suo excitare, et mentem cum Deo suavissime conjungere: habebat enim ille status singularem Dei assistentiam, mentem illustrantem, et eam in suo conatu adjuvantem, ad Deum cognoscendum, et ad omnia virtutum officia cum magna voluptate et facilitate obeunda. Verum everso isto statu per peccatum, sublata est illa divini Spiritus ordinaria opitulatio, et ad nudae naturae nostrae infirmitatem delapsi sumus: qua fit, ut divinarum rerum consideratio et omnia virtutum exercitia nobis facta sint difficilia ac laboriosa, et plerumque absque suavitate, et cum taedio a nobis obeantur. Facile est menti

nostrae terrena et corporalia cogitare, et totum diem in illorum studio et tractatione consumere; historias vel veras vel fabulosas evolvere; bella et praelia imaginari; sed valde difficile illi est se supra ista corporalia sensibus et imaginationi consueta erigere, et in coelestium rerum praesertim divinarum perfectionum et proprietatum consideratione sese occupare. Unde opus est aliqua formula brevi et expedita, quam mens sequatur; et in qua, implorato auxilio divino, se ad divinae excellentiae notitiam exerceat. Nullum sane exercitium spirituale salubrius; nullum quoque jucundius, et majoris consolationis, cum progressum in eo aliquem fecerimus; nullum omnino ad virtutes assequendas efficacius, nullum ad animum illustrandum et lumen in omnibus functionibus vitae praebendum potentius. Ut enim Scriptura divina ait: *Nosse te consummata justitia est; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Qua de re plura alibi.

Quam ob causam divinas perfectiones seu attributa, quae Deo tribuuntur in scripturis sacris, brevissime, ad imitationem S. Dionysii Areopagitae, (cujus lectio mihi jam a quinquaginta annis mirifice placuit) explicare, et ob oculos proponere statui, omissis plerisque

Scripturae et Patrum testimoniis et theologicis rationibus; (quae omnia alibi satis prosecuti sumus) ut tanto facilius mens possit illa apprehendere, et ex illorum conceptu affectus congruentes elicere, et hoc modo animum deiformem, ut Dionysius loquitur, efficere.

ALIUD PRAEAMBULUM.

De Oratione et optimo orandi modo.

Nota. Quia singulae considerationes de Dei nominibus proximam orandi ac meditandi materiam suppeditant; visum fuit operae pretium hoc praeambulum praestruere ejusdem auctoris. Ex lib. 4. *de summo bono.* cap. 1.

Oratio generatim complectitur laudem, gratiarum actionem, et petitionem. Est enim insigne religionis opus, quo Deum honoramus vel laudando, vel gratias pro beneficiis acceptis agendo, vel nova ab ipso beneficia, tamquam omnium bonorum fonte, postulando. *Obsecratio,* seu obtestatio per sacra, nempe, per Dei misericordiam, per Christum, per Christi merita, etc. ad *petitionem* pertinet, neque distinctam orationis speciem constituit; sed dumtaxat causas concedendi allegat.

Quam autem hoc opus, si debito modo fiat, sit salutare, constat ex tribus causis. *Primo,*

quia est summi meriti; cum ad illud praestantissimarum virtutum functiones concurrant, ut fidei, spei, charitatis, religionis, humilitatis, gratitudinis. Ad laudem enim concurrit fides, charitas, et religio; ad gratiarum actionem, fides, charitas, et gratitudo; ad petitionem, fides, spes, religio, et humilitas. Itaque excepta Sacramentorum perceptione, nihil salubrius aut praestantius in hac vita, quam incumbere sedulo orationi. *Secundo*, quia est veluti generale quoddam instrumentum ad omnia saluti opportuna a Deo facile obtinenda. Est enim, ut S. Joannes Chrysostomus ait, instar clavis cujusdam, per quam omnes Dei thesauros possumus aperire, et ex illis accipere quidquid nobis commodum videtur ad aeternam salutem consequendam. Omnia enim ista oratione certissime possumus impetrare. Quod ut diligenter consideremus, et verissimum esse sciamus, Scriptura plurimis locis inculcat; Matth. 7. et Lucae 11. Dominus ait: *Et ego dico vobis, petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.* Ubi sexies diversis verbis idem repetit, ut nos certissimos reddat; et confirmat duobus exemplis pulcherrimis: nimirum amici nocte intempesta

petentis panem ab amico; et filii petentis panem, vel piscem, vel ovum a parente. Deinde sic concludit: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data* (quae a vobis non habetis, sed aliunde accepistis) *dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?* Item Joan. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in filio.* Et statim addit, idem fere repetens: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Marci 11: *Omnia quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Hisce toties repetitis sententiis, vult nos Dominus reddere certos, nos omnia ad salutem accommodata accepturos, si prout decet, ipsum per orationem adierimus.

Tertio, quia est medium ordinarie ad salutem necessarium. Nam pleraque auxilia ad salutem opportuna per orationem nobis sunt impetranda: nempe quae ad superandas tentationes et ad perseverandum in finem ordinarie sunt necessaria. Etsi enim Deus ex sua ineffabili benignitate etiam non orantibus multa saepe auxilia praestet; tamen auxilia majora, et singularem illam protectionem ac directionem, qua quis perseverat in finem et consequitur salutem, nec promisit, nec ordinarie confert nisi oranti-

bus. Unde Scriptura saepe monet ut semper oremus; nimirum quantum humana conditio patitur. Eccles. 18: *Non impediaris orare semper.* Quasi dicat: Nullam rem, nullum officium admittas, quod te impediat, quo minus possis semper orare; nimirum, quantum fert humana fragilitas. Marci 13: *Videte, vigilate, et orate; nescitis enim quando tempus sit,* quo sistendi estis supremo judici. Luc. 18. Dominus parabola ostendit, *quod oporteat semper orare, et non deficere;* et c. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia illa* (*pericula salutis*) *quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.* 2. ad Thessal. 5: *Sine intermissione orate.* Ratio est, quia vult se et sua beneficia agnosci et nos confiteri, sine ejus gratia et auxilio non posse salutis pericula evadere, tentationes superare, aut salutem consequi. Itaque vult nos assidue ad se recurrere per orationem, et hoc modo omnia salutifera impetrare.

Itaque qui orationi prout oportet est deditus, certissimus sit, nihil eorum, quae ad salutem sunt opportuna, ex parte Dei ipsi defuturum: ac proinde certus sit, se fore salvum, si ex parte sua divinae gratiae per socordiam et crassam negligentiam non defuerit.

Porro ut debito et convenienti modo oremus.

quaedam sunt observanda, tum ante orationem, tum in ipsa oratione. Ante enim orationem opus est quadam praeparatione, de qua Sapiens Ecclesiastici 18: *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Tentare enim Deum censetur, qui modo ad impetrandum inepto, et qui potius iram, quam beneficium meretur, impetrare contendit.

Haec praeparatio tria requirit. *Primo*, ut Deum, cum quo agendum est, ante oculos nobis ponamus, et nos in conspectu ejus sistamus. Hoc autem multis modis fieri potest. Primo, si concipiamus illum tamquam spiritum per omnia diffusum, omnia implentem et continentem, nostraque omnia clarissime intuentem et sentientem. Ipse enim ubique praesens est, et *oculi ejus decies millies sole lucidiores, intuentes omnes vias hominum, et cordium arcana.* Quo sic ob oculos proposito et considerato, tamquam cum praesente et nos intuente ac audiente, tota oratione agendum.

Secundo, si concipiatur tamquam lux immensa intime nobis praesens, et in corde nostro cum omnibus thesauris et donis suis, cum tota potentia, sapientia, sanctitate, et bonitate sua (quibus in momento nos sanctos et beatos efficere potest) residens. Et hoc modo dirigimus

totam orationem ad eum tamquam intra nos constitutum, et in fundo animae nostrae absconditum.

Tertio concipi potest sub augusta forma sedens in solio coelesti, circumfusus luce infinita et infinitis Angelorum myriadibus: quo modo apparuit Danieli, et Joanni in Apocalypsi, et Isaiae, et aliis.

Quarto proponi potest ob oculos Christus Dominus in natura assumpta, vel ut pendens in cruce in monte Calvariae; vel ut sedens ad dextram Patris, circumfusus Angelorum et beatorum spirituum immenso exercitu; vel ut sedens in nubibus judex vivorum et mortuorum. His vel similibus modis Deum concipere debemus, quando serio orare volumus, et ei sic proposito, nos animo vel in coelo vel in terra humillime prosternere; ut tota nostra oratio ad eum, tamquam praesentem, et nos videntem et audientem, dirigatur. Qui enim cum aliquo vult colloqui, debet eum habere praesentem, et tamquam cum praesente agere: alioqui sermonem ad illum non dirigit, sed in aérem loquitur. Unde haec consideratio praesentiae divinae in oratione est maxime necessaria, et diligentissime procuranda. Qui in ea probe est exercitatus, non solum magno fructu, sed etiam magna facilitate et suavitate orare potest.

Secundo loco praeparatio requirit, ut cogitemus quidnam cum Deo tractaturi simus. Sicut qui cum magno aliquo principe acturus est, prius cogitat, quidnam debeat tractare, ita multo magis qui acturus est cum Deo, ante expendere debeat quid agere velit: nimirum an illum laudare, an gratias agere, an beneficia aliqua ab eo poscere, et quaenam ea sint.

Tertio loco petendum a Domino auxilium, quo digne tantum munus praestare possimus; nimirum ea mentis elevatione et attentione, ea reverentia et eo affectu, quo par est creaturam cum suo creatore colloqui. Unde commodissimum tempus, quo maxime est mens serena et apta contemplationi, deligendum, omnesque aliae cogitationes et curae penitus excludendae: perinde ac si cum rebus humanis tibi nihil sit commercii, et solus cum Deo et Angelis ejus sis in mundo.

Hac praeparatione praemissa accedendum ad ipsam orationem: quae ut optimo modo fiat, tria postulat. *Primo* magnam attentionem ad Deum cui loquimur, quem nobis in praeparatione ob oculos posuimus; quia tota oratio ad ipsum tamquam ad praesentem dirigi debet. Ex hac attentione fit, ut cum magna reverentia preces nostras faciamus.

Secundo requirit magnam attentionem circa sensum verborum quae pronuntiamus, praesertim cum psalmos, vel alias orationes jam compositas recitamus. Itaque danda est opera, ut antea probe illa intelligamus, vel piam aliquam illorum intelligentiam perceptam habeamus. Etsi enim qui recitant preces canonicas, praecepto Ecclesiae satisfaciant, et etiam opus pium ac meritorium praestent, si saltem ad Deum, cui loquuntur, attenti sint, et cum reverentia sacra illa verba proferant, quamvis ea non intelligant; longe tamen praestantior foret oratio, si sensum illorum perciperent, et eo spiritu quo primo concepta et scripta, Deoque a Propheta sunt decantata, proferrent.

Tertio, ut conemur in nobis excitare, et induere illos affectus, quos oratio in singulis suis partibus exigit, quosque ipsi auctores sacri, et viri sancti ac illuminati in decantando sentire consueverunt. Quod ut assequamur, expedit non valde multa orando legere, aut recitare, nec celeriter: fieri enim non potest, ut oratio multum sapiat animae palato, dum cursim transitur. Opus est aliqua mora in considerando, ut affectus excitetur, praesertim varius pro varietate materiae, quae occurrit. Difficile est hoc exacte praestare in longa

oratione; quia opus est multo tempore, et mens tam longo conatu non parum fatigatur. Itaque in breviore oratione, verbi gratia in oratione Dominica, salutatione Angelica, in symbolo, in uno vel altero psalmo, in paucis hymnis, et similibus, id omni ope conandum. Et quamvis in principio sit aliqua difficultas; usus tamen sensim rem reddit facilem et delectabilem. Porro singuli versiculi, imo singula paene verba sunt attentissime consideranda, et eorum vis expendenda, allatis variis conceptibus, causis, effectis, modis, etc. Ideoque expedit singulos versiculos bis terve repetere, nec transire ulterius, donec eos veluti degustaveris. Quae ut melius intelligantur, statuam exemplum in oratione Dominica.

Pater noster qui es in coelis. Vere *Pater noster:* tu enim nos ex nihilo ad imaginem et similitudinem tuam benignissime condidisti, tu lapsos in peccatum ab aeterna morte redemisti, tu nos in filios adoptasti, tu Spiritu tuo sanctificasti, tu ad coelestem hereditatem vocasti, et providentia paterna nos ad illam dirigis. Tu pater noster, creator noster, redemptor noster, sanctificator noster, director noster, et largitor bonorum omnium. Haec omnia hac *Patris* appellatione comprehenduntur. Convenit hoc

nomen Deo respectu nostri, prout complectitur totam sanctissimam Trinitatem; omnia enim opera paternitatis in nos, sunt communia toti Trinitati.

Qui es in coelis. Ibi te aperis, ibi te manifestas, ibi cognosceris et amaris, benediceris et laudaris in saecula saeculorum. *In coelis;* in beatissimorum spirituum mentibus, quae omnibus coelis corporeis capaciores. Ibi fulget majestas tua, ibi regnas et triumphas in aeternum.

Sanctificetur nomen tuum. Sanctificetur nomen tuum (quidquid tu es et diceris) in hac extrema regni tui parte; sanctificetur in hominibus. Omnes mortales te cognoscant, te timeant, te ament, te laudent et benedicant in saecula. In hoc nominis tui sanctificatio est sita; haec semper vigeat, efflorescat, et crescat usque in finem mundi.

Adveniat regnum tuum. Exscindatur regnum impietatis, regnum peccati et diaboli: regnum tuum adveniat, et omnibus dominetur. Primum quidem regnum fidei, spei, et charitatis, per quae in cordibus omnium nationum regnes, deinde aeternum illud regnum beatae visionis: in quo tu eris omnia in omnibus. Hoc regnum non diu differatur; sed completo mox Sanctorum numero, se aperiat.

Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra. Voluntas tua, consilia tua, praecepta tua, beneplacitum tuum. Haec triplex voluntas tua sic impleatur in terra, sicut impletur in coelo. Omnes obediant praeceptis tuis, omnes pareant sanctissimis inspirationibus tuis, omnes probent beneplacitum tuum.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: panem corporalem et spiritalem, alimenta corporum et animorum. Sicut corpus nutritur cibis visibilibus; ita anima verbo tuo, doctrina et illustratione tua, et in primis pane illo divino, *qui de coelo descendit, qui spiritus est et vita,* qui mundo vitam attribuit, corpore, inquam, et sanguine Filii tui. Omnem hunc panem da nobis *hodie*, id est, quamdiu *hodie* nominatur: ut exponit Apostolus ad Hebr. 3; hoc est, toto tempore vitae hujus mortalis.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Ecce, Pater, ignosco omnibus qui me injuria affecerunt, vel quovis modo in me peccaverunt: nihil illis mali exopto; sed benedictionem tuam et Spiritum sanctum tuum illis imprecor. Ignosce itaque et mihi quidquid in te peccavi: relaxa culpas et supplicia, debita culparum et poenarum, quarum tibi reus sum et debitor. Haec

omnia debita remitte mihi per infinitam bonitatem et misericordiam tuam, per sanguinem et merita Christi Filii tui Domini nostri. Mira Dei benignitas, qua se paratum exhibet condonare nobis decem millia talentorum, si nos proximo velimus condonare paucos denarios.

Et ne nos inducas in tentationem. Semper nobis adsis auxilio et protectione tua, ut nulla nos tentatio vincat, nullae mundi vel carnis illecebrae in peccatum trahant.

Sed libera nos a malo. A malo culpae et poenae, ab omnibus diaboli insidiis, et tandem ab omnibus hujus vitae malis; et transfer in regnum tuum, ubi te summo bono aeternum fruamur.

Amen. Ita fiat, Domine Pater, Rex coeli et terrae: ita fiat, exaudi haec mea vota, et imple illa secundum bonitatem et misericordiam tuam.

En specimen accuratioris modi orandi, qui mirifice et mentem illustrat, et affectum excitat, et dulcedinem in singulis partibus latentem gustare facit: multoque fortasse melius est, hoc modo semel orationem Dominicam recitare, quam centies cursim cum parva attentione. Quod si alicui sit injunctum, ut ter vel quinquies recitet orationem Dominicam, facile id praestare potest toties repetendo singulos versiculos, illisque inhaerendo meditatione, juxta

modum nunc explicatum. Hoc fere modo B. Franciscum orationem Dominicam recitare solebat, et B. Pater noster Ignatius eum modum valde commendat in libello Exercitiorum. Nec video quae ratio orandi possit esse praestantior. Facile autem quibusvis aliis precationum et laudum formulis, et psalmis, et hymnis, et versiculis accommodari potest.

LIBELLUS PRIMUS.

CONSIDERATIONES VIAE PURGATIVAE

PRO INCIPIENTIBUS.

ACTUS FIDEI.

Documentum.

Ut quis per Viam Purgativam *accedat ad Deum, recta ac distincta vestigia assignat Oecumenicum Concilium Tridentinum* Sess. 6. de Justificatione, cap. 6. *Requirit imprimis actum fidei.* Disponuntur, *ait*, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt. *Et infra:* De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum, oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. Hebr. 11. *Ita Tridentinum. Ut autem credas*, quia est, *servire poterit consideratio* de Deo et divinitate: *item* de ipso esse et qui est.

Ut deinde credas, quod inquirentibus se remunerator sit, *usui esse poterit consideratio* de Deo, ut est salus nostra: *item* de Deo, ut est gloria nostra: *item* de aeternitate Dei. *Igitur*

sequentibus considerationibus actus vivae fidei intermisce.

CONSIDERATIO I.

De Deo et divinitate.

Deus dupliciter concipi potest secundum Dionysium. 1. Per affirmationes, seu conceptus positivos, quibus omnes perfectiones ei tribuuntur. 2. Per negationes, seu conceptus negativos, quibus omnes perfectiones, ut a mente creata absque lumine gloriae concipiuntur, de eo negantur. Priori modo concipimus Deum esse spiritum sublimissimum, optimum, maximum, sempiternum, potentissimum, sapientissimum, benignissimum, sanctissimum, justissimum, misericordissimum, pulcherrimum, rebus omnibus intime praesentem, omnia interius creantem, formantem, conservantem, gubernantem, et ad suam gloriam ordinantem, tamquam primum principium et finem rerum omnium.

Similis descriptio Dei colligi potest ex S. Augustino, lib. 1. Confess. c. 4. paucis additis, hoc modo: Deus est spiritus summus, optimus, maximus et sempiternus, potentissimus et benignissimus, misericordissimus et justissimus, secretissimus et praesentissimus, fortissimus et

pulcherrimus, simplicissimus et perfectissimus, indivisibilis et immensus, stabilis et incomprehensibilis; immutabilis, mutans, omnia; semper agens, semper quietus; colligens nec egens; creans et nutriens et perficiens, portans et implens et protegens: ex quo omnia, per quem omnia, propter quem omnia.

Et S. Bernardus *lib. 5. cap. 11. de consideratione ad Eugenium*, sic describit Deum: *Quid est Deus? voluntas omnipotens, benignissima virtus, lumen aeternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentem ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fecundans ad fructum, dirigens ad aequitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.* Omitto alias, quas habet eodem libro, quae fere sunt per affirmationes.

Posteriori modo Deus concipitur esse spiritus infinitus, immensus, sempiternus, infinite supra omnem perfectionem, excellentiam, et magnitudinem a mente creata conceptibilem elevatus; supra omnem substantiam, supra omnem poten-

tiam, omnem sapientiam, omnem intellectum, omnem lucem, omnem pulchritudinem, omnem sanctitatem, omnem justitiam, omnem bonitatem, omnem beatitudinem, omnem gloriam; adeo ut ipse nihil horum proprie sit, nulli horum sit similis, sed infinite sublimior, et praestantior.

Ratio est: primo, quia omnes illae perfectiones, ut a nobis, vel ab Angelis, absque lumine gloriae concipiuntur, sunt limitatae in ratione entis, ita ut alia aliam non includat: ut vero sunt in Deo, sunt prorsus illimitatae, ita ut se mutuo includant. Deinde menti creatae objiciuntur per modum formatum accidentalium, sicut se habent in rebus creatis. In Deo sunt una simplicissima substantia, seu forma per se subsistens. Ob has causas Dionysius Areopagita multis locis hunc modum concipiendi Deum, praefert ei, qui est per affirmationes. Vide cap. 2. de coelesti hierarchia, et cap. 1. et 2. de divinis nominibus, et cap. 3. de mystica theologia.

Possunt etiam hi duo modi misceri, sicut miscentur in hac descriptione: Deus est incomprehensibilis bonitas in sua essentia, inscrutabilis profunditas in sua sapientia, inaccessibilis altitudo in sua eminentia, ineffabilis latitudo in sua charitate, infinita longitudo in sua aeterni-

tate, simplicissima puritas in sua sanctitate, absoluta immensitas in sua magnitudine, caligo lucidissima, solitudo abundatissima, simplicitas perfectissima, sibi et beatis omnibus paradisus et coelum, aeterna vita, aeterna requies, aeterna beatitudo, et omnium bonorum infinita plenitudo.

Quod ad divinitatem attinet, etsi ipsa a Deo, nullo modo ex parte rei, aut in conceptu videntium Deum distinguatur; tamen in nostro conceptu seu concipiendi modo est aliqua distinctio: cum divinitas concipiatur ut forma, Deus ut quid constitutum ex forma et substantia. Dupliciter autem divinitas concipi potest.

1. Per modum essentiae seu naturae intellectualis infinitae, ex qua quodammodo manent omnes illae perfectiones, quae attributa vocantur: ita ut haec non contineantur in ratione divinitatis, seu essentiae divinae formaliter, sed tamquam in fundamento; sicut proprietates in rebus creatis.

2. Concipi potest, tamquam forma simplicissima per se subsistens, infinitae perfectionis, quae formaliter contineat omnes perfectiones in sua summa elevatione consideratas: ita ut Deus per illam formam sit formaliter potens, sapiens, bonus, sanctus, justus, etc. imo sit formaliter ipsa potentia, sapientia, bonitas,

sanctitas, justitia, etc. non accidentaria, sed substantialis, et per se subsistens. Et hic modus concipiendi est praestantior, et Deo dignior, ut alibi fusius declaratum est, tum ratione, tum Sanctorum Patrum testimoniis. Sic enim divina essentia formaliter continet omnem perfectionem simplicem, non tantum fundamentaliter, et ipsae perfectiones habent se per modum substantiae, non accidentis, vel proprietatis accessoriae.

PRECATIO.

Ad Deum et Divinitatem.

Ex lib. 7. *de Perfect.* cap. 3.

Ad te accedo viva fide instructus, o Domine: tu Deus meus es, et non est alius. Tu Deus super omnes Deos, tu omnis divinitatis abyssus. An, ut pictor, adjiciam omnes virtutum colores? Tu omnes superexcedis. An, ut sculptor, rejiciam, quidquid rude, indolatum, superfluum, impolitum? Tu omni imperfectione cares, omni circumscriptione, omni limitatione, omni termino.

Tu omnis perfectionis auctor et exemplar, et finis, et conservator, omnem terminans infinitatem, omnem transiliens finem, omnem definiens mensuram, omnem fingens speciem, om-

nem formans informitatem. Tu per te perfectus, et superfectus, et ante perfectus, omnem perfectionem et excellentiam simplici unitate praehabens.

Tu sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, sine numero infinitus, sine figura formosus, sine tempore aeternus, sine loco immensus, sine extensione diffusus, sine multiplicitate perfectus, sine situ altissimus. Tu centrum universi, ad quod omnia quiescunt, a quo omnia sustentantur. In te omnis amoris illicium, omnis desiderii consummatio, omnis motionis terminus, omnis appetitus satietas.

Haec ita esse certissima fide credo, et admodum gaudeo Deum meum talem esse; et ita esse coram toto orbe profiteor.

Modus legendi hanc precationem, et sequentes.

Nota. *Quia haec precatio, et reliquae, quas per intervalla inserimus, sunt plenae succo, et continent medullam rerum, quae toto libro de qualibet perfectione ab auctore tractatae sunt, ideoque „Recollectiones precatoriae" ab eodem nuncupantur, expedit attente perlegere, et usurpare modum orandi, qui fit per quandam vocum et temporum commensurationem. De hoc ita loquitur* S. P. Ignatius *in libello suo Exercitiorum*

spiritualium hebdomade quarta: Hic orandi modus in eo consistit, ut inter singulas respirandi vices singula orationis verba transmittamus, expensa interim, vel significatione prolatae vocis, vel personae, ad quam oratio spectat, dignitate, vel mea ipsius vilitate, vel utriusque postremo differentia. Eodem procedendum modo in verbis reliquis.

CONSIDERATIO II.

De ipso esse, et qui est.

Deus dicitur *esse,* et *qui est,* et *existens* (ut Septuaginta vertunt Exodi 3) quinque modis vel rationibus. 1. Ut fons et causa totius esse; cum omne esse, et omne ens ab ipso sit, et assidue ab ipso, sicut lumen a sole, dependeat.

2. Quia non habet esse aliquod limitatum, neque est hoc vel illud, sicut Angelus vel homo: sed *universe* est, totum esse in se complectens, et ab aeterno anticipans; cum tota essendi plenitudo, totaque entis latitudo et amplitudo, in ipso plenissime et eminentissime contineatur.

3. Quia *sempiterne* est, suo esse, suaque vita totam implens, adaequans, in se complectens et ambiens aeternitatem.

4. Quia *immense* est, totam implens spatiorum imaginabilium immensitatem.

5. Quia *immutabiliter* est, omnia sua ita simul habens, et firmiter possidens, ut nihil unquam possit amittere; cum omnia habeat per suam immutabilem essentiam, cui nulla potest fieri accessio, nulla decessio.

PRECATIO.

Ad ipsum esse, et qui est.

Ex lib. 2. *de Perfect.* cap. 4.

Quid credo, cum Deum esse credo? Adjuva, Domine, incredulitatem, et imbecillitatem meam. Credo te illud esse, a quo omne habet esse quod est; credo te complecti omne illud esse, quod aliquid est: credo te esse, quod semper fuisti; et fuisse ante omne quod fuit: credo te hic esse cum omni esse, et ubique esse, quod hic es: credo te constanter fore, quod ab aeterno fuisti, et nunc esse, quod in aeternum futurus es.

Da mihi, Domine, ut comprehendam, cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum divinitatis tuae; ut a me totus cogitatione, et affectu deficiens, in illud pelagus immergar, ibique perdam meipsum et creata omnia, nihil aliud attendens, nihil aliud sentiens, amans, desiderans, aut re-

quirens amplius; sed in te solo acquiescens, et omne bonum in te possidens et perfruens. Sicut enim essentia tua infinita est et immensa, ita omne bonum, quod in te est, infinitum pariter et immensum est. Quis adeo avarus est, ut infinitum et immensum bonum ei non satis sit? Nihil ergo extra te quaeram aut desiderem, sed tu mihi sis instar omnium, et supra omnia, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

CONSIDERATIO III.

De Deo, ut est salus nostra.

Salus nostra dicitur; 1. Quia liberat nos ab aeterna morte. Imo quantum in ipso est, liberat omnes homines, solvendo pretium abundantissimum, quod infinitis peccatoribus et infinitis peccatis abolendis sufficiat.

2. Quia est causa donorum gratiae, et omnium bonorum operum, quibus salutem aeternam meremur: et tota hujus mundi machina eo dirigitur, ut salutem aeternam consequamur. Omnia enim propter electos.

3. Quia est auctor et fons donorum gloriae, in quibus salus aeterna formaliter consistit, nempe visionis et fruitionis Dei.

4. Quia ipse est objectum salutis aeternae,

unde tota aeternae vitae essentia, excellentia, suavitas, et duratio interminabilis dependet. Ipsum enim videre, amare, gustare, vita aeterna est, et ipsius, et omnium Sanctorum.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est salus nostra.

Ex lib. 1. *de Perfect.* cap. 7.

Domine Deus, virtus mea, et salus mea, qui non tantum Deus credentium es, sed inquirentibus te remunerator es; *utentibus nimirum dono gratiae, ac lytro salutis, utentibus hoc mundo, tamquam non utantur: da mihi, cum Apostolo tuo, omnia arbitrari ut stercora, ut te unum lucrifaciam, qui eris merces mea magna nimis.*

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et chara sint mihi omnia tua; et tu, Deus meus, plus quam omnia. Quid enim sunt caetera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, umbra sunt et vanitas omnes divitiae et deliciae, omnisque gloria hujus mundi, quae misere oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quae in te sunt, cognoscere et persequi valeant. Et sicut qui dormiunt, inani imagine divitiarum, voluptatum et honorum delusi, nihil horum inveniunt cum excitantur, sed cum dolore animi vident se misere deceptos: ita acci-

dit omnibus hujus mundi amatoribus, vitae istius per mortem corporis discusso somno, mente in lucem alterius saeculi expergiscente.

Nihil igitur illorum amem aut aestimem, sed te solum, et bona tua, quae in te recondita, quae tu ipse es, quibus fruentur aeternum, qui hisce caducis contemptis, tibi inhaeserint. Amem te supra omnia, et semper serviam tibi: quia infinite melior es omnibus, et dignus, ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis servitus tibi ab omni creatura in omnem aeternitatem deferatur et impendatur.

CONSIDERATIO IV.

De Deo, ut est gloria nostra.

Gloria nostra dicitur Deus, tum effective, tum objective. *Effective* quidem, tum quia est causa omnium bonorum nostrorum, de quibus in hac vita aliquo modo gloriari possumus, tum quia est causa gloriae illius sublimissimae et aeternae futuri saeculi, et omnium bonorum, ex quibus illa tamquam splendor emicabit. *Objective* vero, quia ipse est objectum, mensura et fons omnis gloriae, et beatissimi illius status, in quo omnes beati ipsum videndo, amando, gustando, seu fruendo, deificabuntur, et dei-

formes efficientur, instar divinitatis fulgentes. Tantum enim bonum est divinitas, ut ipsam videre, amare et gustare sit summa et aeterna gloria.

Christus etiam dicitur *gloria nostra* meritorie; quia omnis gloria nostra in ipsius meritis, tamquam in causa fecundissima, continetur, et ex illis in nos promanat. Potest etiam ipse dici gloria nostra quasi formaliter; quatenus est caput nostrum, et nos ejus membra: sicut beata Virgo dicitur gloria coelestis Jerusalem; et Judith gloria Jerusalem terrestris.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est gloria nostra.

Pro felici certaque praedestinatione, et electione ad gloriam aeternam.

Ex *Disput. de Praedest.* sect. 7.

Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi; quia ab aeterno dilexisti nos, et praeparasti nobis regnum tuum, et consortium gloriae tuae. Elegisti nos in Filio ante mundi constitutionem, et in adoptionem filiorum per ipsius

merita praedestinasti, ut simus sancti et immaculati in conspectu tuo in charitate, et paratam nobis haereditatem assequamur. Et sicut ab aeterno nos praescisti, et praeordinasti, ut simus conformes imaginis Filii tui, ita in tempore vocasti, et vocationem tuam secutos justificasti, (communicato nobis Spiritu tuo, pignore haereditatis nostrae) et justificatos glorificabis; si tamen in justitia permanserimus, si imagini Filii tui conformes nos compatiendo praestiterimus. Ita enim demum nos praedestinasti, ut ei simus conformes in gloria, si fuerimus ei conformes in patientia. Hanc conditionem merito a nobis requiris, ut membra non dissentiant a capite: ut sicut Dominus noster a justitia et Patris obedientia propter passiones et tormenta non recessit, ita nec nos ob hujus vitae afflictiones ab ejus obedientia recedamus, sed omnia fortiter ad exemplum ipsius perferamus, considerantes, quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Meretur res tanta omnem sollicitudinem in exequendis mandatis, omnem tolerantiam in sustinendis adversis, omnem constantiam in retinendo justitiae statu.

Ita sese rem habere me docet fides indubitata, et auctor fidei Deus. Sic credo, et juxta fidei

decreta sic vivere statuo, ut per prospera et adversa semper aspiciam in auctorem fidei, et consummatorem **JESUM**, *donec eundem videam revelata facie, qui tecum vivit et regnat per omnia saecula. Amen.*

CONSIDERATIO V.

De aeternitate Dei.

Aeternus dicitur 1. quia infinito intervallo, ante omne tempus imaginabile fuit, et infinito intervallo seu infinitis saeculis post omne tempus imaginabile erit. Concipe retro, ante mundum conditum, tot myriades saeculorum (saeculum unum voco durationem centum annorum) quot sunt arenae in omnibus littoribus, quot guttae in omnibus aquis, quot folia in omnibus arboribus, quot gramina in omnibus pratis, quot semina in omnibus agris, quot pili in omnibus animalibus: et huic incomprehensibili numero adde tot milliones saeculorum, quot pulvisculi sunt necessarii ad implendum totum universum corporeum; (de quo fusius noster Clavius in Sphaeram) adhuc Deus totum illud temporis incomprehensibile spatium, quod nobis videri possit instar cujusdam aeternitatis, infinitis saeculis, et saeculorum infinitis millionibus antecessit. His adde longe majora. Multiplicetur

totus iste numerus saeculorum, intellectu Angelico, ratione quadrata vel cubica semper ascendendo, quantum per mille annos iste actus repeti potest: adhuc infinito intervallo et infinitis saeculis Deus prior et antiquior deprehenditur. Idem dicendum, etiamsi tot fiant cubicae multiplicationes ordine recto ascendendo, quot arenae sunt necessariae ad implendum totum universum. Nullus numerus annorum vel saeculorum tam ingens a mente creata retrorsum concipi potest, quin tandem desinat in certum terminum, et ante illum terminum supersint infinita saecula, quibus Deus illum terminum antecesserit. Ob hanc causam vocatur *Antiquus dierum*, (Daniel 7.) *Primus et novissimus* (Apocal. 1.)

Simili modo concipienda *aeternitas in futurum.* Concipe in futurum tot milliones saeculorum, quot modo assignavimus; exactis omnibus illis, adhuc restabunt alii milliones saeculorum, et quidem infiniti, quibus Deus cum omnibus Sanctis suis regnabit, et damnati apud inferos torquebuntur. Nec potest ab ulla mente creata tanta multitudo saeculorum concipi, quin illa exacta, et post illam, adhuc alia multitudo saeculorum infinita sit subsecutura.

Ubi advertendum est, integram aeternitatem,

quatenus dicit quandam durationis extensionem, nostro modo concipiendi quasi duabus constare partibus, (etsi in seipsa sit tota simul, et partibus careat): quarum altera concipitur, ut existens complete ante omnia saecula imaginabilia, quasi semper exacta. Haec soli Deo convenit, nec puto ullam creaturam illius capacem; ut alibi ex Patribus probavimus. Altera concipitur ut existens post omnia saecula imaginabilia, quasi semper futura: ita ut nihil umquam de ea decerpatur, quo possit imminui. Haec communicari potest rebus creatis. Sic enim et mundus renovatus, et beatitudo Sanctorum, et tormenta peccatorum aeterna erunt.

2. Deus dicitur *aeternus;* non solum quia ante omne tempus conceptibile infinitis saeculis extitit, et post omne tempus conceptibile infinitis saeculis extabit; sed etiam quia omnia bona sua, omnem potentiam, sapientiam, beatitudinem, omnia gaudia et oblectamenta, quae per infinitum tempus acquirere posset, simul perfectissime in unum collecta habet et immutabiliter ex omni aeternitate in omnem aeternitatem, absque omni initio et fine possidet, ita ut nulla ei possit fieri accessio, nulla decessio. Nemo in hac vita potest omnes oblectationes et gaudia, quibus toto vitae decursu fruitur, simul habere collecta;

ut simul omnia illa sentiat et percipiat, illisque simul fruatur: imo non posset simul illa perferre; sed moreretur gaudii magnitudine, corde se nimium dilatante; ut constat multis exemplis eorum, qui gaudio ex una aliqua re insperata concepto, repente expirarunt. At Deus omnia gaudia et delectationem, quam infinito tempore de infinitis bonis percipere posset, simul et collectim per totam aeternitatem possidet.

Unde triplici modo gaudium Dei est infinitum. 1. Quia est de bono infinito, (nempe de essentiae suae excellentia) idque tanta cum perfectione, ut ei omnino exaequetur; et ulterius est de bonis infinitis, quae in essentia divina eminenter continentur. 2. Quia simul et conferte habet omne gaudium, quod per infinitum tempus successive percipi potuisset. 3. Quia hoc totum simul possidet non finito aliquo tempore, sed per totam aeternitatem: sicut si daretur lux corporalis intensive et extensive infinita, et tota perfectio extensiva contraheretur in punctum, et illa lux sic contracta, esset in immensum diffusa, ubique tota perfecte existens.

Pari modo Deus omnes suas cogitationes, omnia consilia, omnia decreta, simul ab aeterno

immutabiliter concepit et retinet; ita ut nihil novi ei possit occurrere, nihil novi possit cogitare, nihil etiam velle aut decernere, quod ab aeterno non cogitarit, voluerit, statuerit, decreverit; nihil permittere fieri in tempore, nisi quod ab aeterno statuerit permittere; nihil facere in tempore, nisi quod decreverit in aeternitate: semper enim aeternum decretum circa omnia et singula debuit praecessisse, sine quo in tempore nihil fieri potest. Non quod Deus absolute non possit facere alia, quam quae fecit aut facturus est: absit; potest enim alia, et alia sine fine, etsi re ipsa non decreverit facere. Fieri tamen non potest, ut re ipsa aliquid faciat, nisi decretum faciendi ab aeterno praecesserit. Itaque potest omnia absolute, considerata ipsius potentia et sapientia, et summa libertate ab aeterno quidlibet decernendi: non potest omnia ex suppositione, nempe supposito quod decretum non praecesserit. Postulat ipsius eminentissima aeternitas, et immutabilis celsitudo, ut omnia quae et possibilia sunt, et quae fiunt in tempore, et quae non fiunt, in sua luce infinita tam perfecte consideraverit, expenderit, ponderaverit, atque si infinito tempore de singulis deliberasset et consultasset. Unde facile illi fuit de

omnibus et singulis statuere semel et simul, quae infinito post tempore facienda, vel permittenda erant. Imo id erat necessarium, ne voluntas ejus circa aliqua objecta maneret quasi suspensa; quod est imperfectionis.

Quare nulla est in Deo actuum intellectus aut voluntatis successio. Quod semel cogitat aut videt, semper cogitat et videt. Quem semel amat, semper amat; sed pro eo tempore quo erat amabilis, nempe pro tempore status gratiae: quem semel odit, semper odit, non absolute, sed pro eo tempore quo odio dignus; pro alio vero tempore, quo amore dignus est, illum amat. Hi actus qui nostro modo concipiendi in Deo existunt ab aeterno, non cessant proprie nec extinguuntur, neque de novo emergunt, vel eliciuntur, sed manent invariabiles respectu sui objecti pro certo tempore, et incerto statu considerati: nec tribuunt absolutam denominationem, nisi eo tempore, quo objecta in certo statu existunt, et pro illo tempore, quo in eo statu existent, vel extiterunt.

3. Dicitur *aeternus*, tamquam supra aeternitatem, et ut causa aeternitatis in creaturis. Ipse enim suo potentissimo, assiduo, et immutabili influxu, quo omnia creat et conservat, est causa cur mundus, Angeli, et homines in

aeternum sint permansuri et duraturi, una cum statu gloriae, vel damnationis. Denique res omnes suam durationem, aetatis mensuram, spatia essendi et vivendi, tempus nascendi et moriendi, pro sua quaelibet conditione ac natura, ab ipso acceperunt.

PRECATIO I.

Ad aeternitatem Dei.

Ex lib. 4. *de Perfect.* cap. 5.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo usque in saeculum tu es Deus. Tu enim principium et artifex omnium, unde et ante omnia. Non naturae aliqua necessitate impulsus hanc rerum universitatem, hoc magnum palatium cum incolis et opibus suis effudisti, (sicut sol lumen effundit) ut opus tuum tibi coaeternum esse possit: sed liberrima voluntate, ut summus artifex, finxisti et aedificasti. Antiquior ergo es opere isto, quod nondum sex annorum millibus constitit. Sed quot, obsecro, saeculis antiquior? neque illud omnino absurde quaeritur, quasi ante hunc mundum saecula nulla fuerint, in quibus tu existeres, et bonis tuis fruereris.

Etsi enim ante coeli et terrae conditionem

solis et lunae conversiones, quae nostros dies, menses et annos metiuntur, ex quibus quantae sint rerum nostrarum minutae durationes cognoscimus, non fuerint dubium tamen non est (nisi de vocibus contendere velimus) quin durationes et spatia aliqua fuerint quasi dierum, mensium, annorum et saeculorum, sub quibus isti motus extendi et transigi potuissent, si tunc extitissent: sicut nec modo, absoluto mundi hujus curriculo, cessantibus coelorum motibus, durationes omnes et spatia temporum abolebuntur. Capiamus ergo retro ante conditum orbem, centum millia saeculorum: jam tunc eras Deus. Capiamus totidem saeculorum milliones: jam ibi eras, aeque magnus, aeque potens, aeque sapiens, aeque beatus. Denique sine fine majorem et majorem saeculorum numerum retrorsum mens concipiat: et inveniet te cum omnibus bonis et gaudiis tuis infinitis saeculis adhuc priorem et antiquiorem.

Tu enim es hypostasis et principium et mensura omnium saeculorum; tua aeternitate prior omnibus saeculis et superior, sub quo omnia volvuntur saecula. Sicut enim tua immensitate extendis, ambis, et contines omnia spatia locorum: ita tua aeternitate anticipas, protendis, et ambis omnes durationes et moras

temporum, tamquam omnium radix et origo. Sub te omnia inchoantur principia, omnes accedunt profectus, omnis transigitur vita, omnes procurrunt motiones, omnis perstat existentia, omnes perveniunt termini, omnes clauduntur fines.

PRECATIO II.

Ad eandem, ibidem.

O aeternitas, omnis boni primaeva et interminabilis complexio; omnis vitae insenescibilis tota simul et perfecta possessio; omnis beatitatis sine principio et fine superplenissima fruitio! Tibi nihil praeteritum, nihil futurum; tibi nulla accessio, nulla decessio fieri potest. Nam altitudine tui *Nunc*, quod infinitum tempus ambit, omnia simul colligis, in illo omnia tenens praesentia, ut nec fugere possint in praeteritum, nec de novo in futurum advenire. Omnia enim praesentia, praeterita et futura praecipis et anticipas: et tibi jam praesentia erant priusquam futurorum notionem haberent. Etsi enim quaecumque aliquando futura sunt, ab aeterno futura fuerint; nisi tamen ea scivisses, et vel facere vel permittere voluisses, ab aeterno non futura fuissent.

In tuo *Nunc* omnia semel constituta et decreta; omne consilium de omnibus captum et

conclusum. Nihil de novo restat deliberandum, nihil non plenissime expensum, omnia definita et decisa, quae vel fient unquam, vel non fient. Ibi quoque et nos numerati et appensi sumus, et liberata sunt omnia opera nostra. Ibi nobis poena vel gloria aeterna praeparata: ibi vel regnamus cum Sanctis omnibus in gloria, vel in incendiis inferorum cum impiis et daemonibus ardemus. Aeternitas praescientiae et decretorum tuorum anticipat omnia: et quidquid unquam in tempore futurum est, ibi jam factum est.

PRAECATIO III.

Ad eandem, ibidem.

O aeternitas! abyssus gaudii Sanctis, abyssus miseriarum et dolorum impiis! Sicut enim omne bonum facis infinite melius et optabilius, ita omne malum efficis infinite pejus et molestius. Quae mens magnitudinem tuam capere, quod robur animi pondus tuum sustinere queat? Tu omnem superbiam retundis, omnem duritiem frangis, omnem animositatem reprimis, omnes peccatores perturbas, omnes pios in afflictione recreas, et ineffabili gaudio perfundis. *Momentaneum enim et leve tribulationis hujus, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Pro *momentaneo malo* re-

pendetur aeternum bonum; pro *levi tribulatione*, pondus gloriae immensum; pro *afflictione terrena* gloria in sublimitate. Vae miseris peccatoribus, qui momentaneum et leve hujus vitae solatium aeterno illi gloriae ponderi anteponunt: qui aeternum malunt subire supplicium, quam momentaneo hujus vitae carere commodo: qui terrena ista praeferunt coelestibus, infima sublimissimis, momentanea sempiternis!

O aeternitas! tu semper menti meae obverseris, tu intimis mihi sensibus inhaereas, tu omnium mearum actionum et totius vitae sis regula. Omnia temporalia sive bona sive mala prae te contemnam et nihili ducam. Tu mihi in omni afflictione sis solatium, et in omni tentatione praesidium, et in omni prosperitate monitorium. Tibi vero, principiorum omnium principio, quod omni principio antiquius, tibi aevorum parenti, saeculorum regi, temporum dispensatori, aetatum provectori, omnis permansionis et durationis basi, et beatae aeternitatis largitori, omnis honor et gloria in omnem aeternitatem. Amen.

SECUNDUS PASSUS VIAE PURGATIVAE.

ACTUS TIMORIS.

Documentum.

Praeter fidem pro ulteriore passu in via Purgativa *postulat Tridentinum actum timoris, de quo ita docet* Sess. 6. c. 6. Disponuntur ad ipsam justitiam, dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore utiliter concutiuntur. *Et infra:* De hac dispositione scriptum est; Timor Domini expellit peccatum. *Eccli. cap. 1.*

Timori huic conciliando utilis consideratio de Deo, ut est judex vivorum et mortuorum. *Item* de Domino rerum omnium, *et c. Item* de Deo gubernatore.

CONSIDERATIO I.

De Deo, ut est judex vivorum et mortuorum.

Dicitur *omnium judex,* quia judicat omnes animas, simul atque discedunt a corpore. Hoc autem judicium sic peragitur. In primo instanti separationis objiciuntur menti illarum omnia bona et mala quae unquam fecerunt. Deinde eodem momento vident clare, quantum

praemii vel supplicii meruerint. Tertio, revelatur illis Dei judicis sententia, qua vel aeternis suppliciis, vel aeternis gaudiis addicuntur. Haec autem sententia fertur divina operatione, qua in mente formatur actus judicii, qualis conciperetur ex locutione externa judicis infallibilis. Sic enim Deus loquitur creaturae spiritali, quae etiam certissima redditur, hoc judicium provenire a Deo, et esse illius sententiam. Quomodo vero omnia opera bona et mala menti objiciantur, et quomodo videant se praemio vel poena dignos, alibi fusius explicatum. Hoc totum fit per actus, quos Deus singulari influxu in mente excitat: qui similes sunt visioni imaginariae, vel actibus perfectae memoriae, quibus quasi videmus res praeteritas cum suis circumstantiis. Itaque neque accusatore, neque testibus hic opus erit; quia ipsa cujusque conscientia exactissime de omnibus accusabit, et testabitur; idque in conspectu omnium Sanctorum, qui eadem omnia clare videbunt, et testabuntur. Et credibile est eandem notitiam fore quoque in daemonibus, ut videant quam justum sit Dei judicium. Nam si in die universalis judicii omnium facta omnibus erunt manifesta, ut justitia sententiae judicis omnibus appareat, cur non etiam in

particulari judicio sint manifesta daemonibus, damnationis sociis, judicis apparitoribus, et sententiae executoribus?

Porro lata hoc modo sententia, quam etiam daemones intelligunt, statim rapiuntur deorsum ad poenas tartareas, ibique detinentur, ita ut nullo modo possint egredi vel poenas declinare.

Hoc totum brevissimo tempore, et quasi momento peragitur; et, ut credibile est, priusquam anima discesserit loco a suo corpore.

Et quia omnibus horis plurimi toto orbe ex hac vita decedunt, judicium hoc quasi assidue agitur. Neque id difficile menti illi infinitae, quae omnibus animabus et mentibus creatis intime praesens est, et omnia earum opera optime novit, et facile potest ea cuilibet in conspectu ponere, et intrinsecus sententiam dictare.

2. Dicitur *omnium judex*, quia in fine mundi judicio publico judicabit omnes homines et daemones, in conspectu et praesentia omnium Angelorum sanctorum.

Proprie autem hoc tribuitur Christo Domino, cui Pater omne hoc judicium dedit et commisit. Exercebitur autem hoc judicium a Christo secundum humanitatem visibiliter. Hinc Daniel (*cap. 7.*) vidit Antiquum dierum sedentem ad judicandum orbem, et filium homi-

nis ad eum adduci, cui data est omnis potestas et honor et regnum.

Virtute divinitatis fiet, primo, ut omnes homines resurgant, et simul cum omnibus daemonibus in locum judicii cogantur. Deinde, ut sua cuique opera in mentem veniant, et ut eadem hominibus omnibus fiant conspicua. Tertio, ut singuli justitiam sententiae intelligant.

Interea dum haec virtute divinitatis in mentibus judicandorum invisibiliter peragentur, Christus secundum humanitatem, comitatus omnibus Angelis, summa cum majestate, in nubibus comparens, sententiam in justos et injustos sensibiliter et breviter proferet: et simul virtute divinitatis in mentibus singulorum, propria cuique et meritis adaequata sententia dictabitur. Plura de his dicta sunt lib. 13. de Perfectionibus divinis, per multa capita.

PRECATIO I.

Ad Deum judicem vivorum et mortuorum.

Ex lib. 13. *de Perfect.* cap. 31.

Quis novit potestatem irae tuae, aut prae timore tuo iram tuam dinumerare? Quis digne expendere suppliciorum magnitudinem et multitudinem, quae peccatoribus praeparasti, et

per tuam omnipotentiam illis suo tempore irrogabis? Sicut enim infinita est misericordia tua; ita et justitia tua: quae innumeris quoque modis non solum in futuro saeculo, sed etiam in praesenti (quod tamen proprie est saeculum misericordiae) contra peccatores se patefecit, ut omnes te timere discant; et quos benignitas tua non movet, saltem moveat severitas. Declarasti justitiam et iram tuam contra peccatum, quando tot millia Angelorum (qui incomparabiliter omnibus hominibus sunt praestantiores) propter unum peccatum de coelo in tartarum deturbasti, et aeternis suppliciis subjecisti, nulla spe veniae relicta. Non tibi cordi fuit, quod illi tanto essent numero, tanta naturae excellentia et pulchritudine, tanto ingenio et rerum omnium notitia praediti: nec curasti omnem laudem, benedictionem, gratitudinem, honorem et gloriam, quae tibi ab illis in omnem aeternitatem proventura erant, si illis hanc culpam condonasses. Maluisti tantum et operis tui pulcherrimi et gloriae tuae, quae ab ipso tibi obvenisset, damnum sustinere, quam unicum illud peccatum condonare. Rursum eandem ostendisti, quando totum genus humanum propter peccatum primorum parentum justitia originali, et primi status felicitate

spoliasti, ac innumeris miseriis simul et morti addixisti. Ex qua poena jam ante providebas fore, ut infinita hominum multitudo damnaretur, et vix centesimus quisque salutem obtineret. Hoc tamen totum propter primum istud parentum peccatum permittere in posteris voluisti. Quis non expavescat ad tantam judiciorum tuorum abyssum? Vere magnus Dominus, et terribilis nimis, infinite supra omnia elevatus et supereminens, ad omnem laudem, gloriam et beatitudinem tibi per te sufficientissimus, nec nostris vel Angelorum obsequiis et laudibus egens, sed hoc tantum postulans, ut obediatur voluntati tuae.

Demonstrasti quoque contra peccatores iram tuam, quando inundante diluvio peccatorum, induxisti diluvium aquarum, quo totum genus humanum, praeter octo homines in mundi seminarium reservatos, delevisti, et terram sceleribus contaminatam expiasti. Iterum, quando sulphure ardente coelitus immisso Sodomam et vicina oppida cum suis incolis funditus delevisti, aeterni incendii post mortem peccatoribus praeparati specimen in hoc saeculo hominibus exhibens. Simili modo quadringentis post annis ira tua desaeviit in Aegyptios, iniqua servitute populum tuum prementes, quos

in obstinatione una cum suo principe persistentes post maximas et admirabiles clades mari rubro demersisti. Neque populo tuo, quem ex toto genere hominum peculiariter tibi delegeras, pepercisti, jubens ut rebelles vel terra dehiscente absorberentur, vel igne coelitus immisso cremarentur, vel gladiis confoderentur; omnibus ob peccatum murmurationis per quadraginta annos in arenis et locis horridis detentis et circumductis. Deinde sub Judicibus sexies ob peccata sua ab hostibus subacti, et servitute variisque calamitatibus oppressi. Denique peste, fame, bello, incendiis, tempestatibus, eluvionibus, terrae motibus, aliisque flagellis genus humanum propter peccata saepissime castigasti, ut nulla fuerit natio hisce miseriis exempta. Sicut enim nusquam desunt peccata, ita par est ut nusquam etiam desint flagella, quibus peccata castigentur; ut homines, manum tuam sentientes, resipiscant, et ad officium revocentur.

PRECATIO II.

Ad eandem ibidem.

Neque solum externis calamitatibus peccata vindicas sed etiam internis et spiritualibus:

dum lucem et protectionem gratiae tuae peccatoribus subtrahis, et permittis eos a diabolo ad omnem nequitiam impelli. Hoc supplicium maxime formidabile, utpote damnationi aeternae propinquissimum. Sic per aliquot annorum millia permisisti gentes, hoc est, totum fere mundum ingredi vias suas, et diabolum tamquam hujus saeculi principem ac Deum, obtinere regnum, et instar Dei in mundo coli et adorari. Sic etiam dilectam olim plebem tuam, propter sua scelera, (praesertim quia charitatem veritatis repulerunt, insuper et ipsam veritatem occiderunt) a te repulisti, subtracta gratia tua, et operatione erroris in eos daemonibus permissa. Simili modo multa Christianorum regna propter peccata, et maxime propter haeresim, a te derelicta et infidelibus ac daemonibus tradita. Haec sunt judicia justitiae tuae, haec impiae desertionis stipendia; nimirum, ut qui te et doctrinam tuam deserunt, a te deserantur, et daemonibus illudendi permittantur, ut tenebras putent lucem, et lucem tenebras; bonum respuant tamquam malum, et summum malum amplectantur pro summo bono. Etsi enim hoc flagellum in hac vita sit omnium maximum: quia tamen non videtur nec sentitur, non aestimatur; neque fla-

gellum reputatur, sed beneficium, quod summae miseriae est argumentum.

Hisce modis aliisque in hac vita peccata castigas, et iram tuam ac justitiam ostendis, *et, pro dolor! non metuimus te.*

CONSIDERATIO II.

De Domino rerum omnium, Domino Dominantium, Rege Regum, Rege saeculorum, Deo Deorum.

Omnium Dominus dicitur, quia omnia essentialiter ipsius sunt, tamquam ipsius opera, et figmenta, quae ipse sua sapientia excogitavit, et omnipotentia ex nihilo formavit, et ad suam gloriam aliquando repraesentandam et insinuandam extare voluit. Deinde, quia de omnibus pro suo arbitrio potest disponere, cum omnia ab ipsius nutu et libera voluntate omnibus momentis dependeant, nec ullum habeant esse, nisi quod ipse pro sua libertate in illa infundit. Itaque longe plus juris, et potestatis habet in totum universum, in omnes Angelos et homines, quam quilibet dominus in suum jumentum, figulus in suam ollam, homo in suas actiones liberas: quia nec dominus suum jumentum a se habet, nec figulus lutum, artem,

ignem, industriam, quae illi ad ollam conficiendam sunt necessaria, nec homo facultates, quibus actiones suas perficit. Deus autem omnia a se habet, quae ad rem ipsam perficiendam et obtinendam pertinent cum omnia nihil sint aliud quam liberae operationis ipsius externae terminus intrinsecus. Quo fit, ut ipsius dominium sit infinitae perfectionis, nec ulli creaturae communicabile, nec ulla res creata extra ipsius dominium constitui aut sui juris effici possit; cum essentialiter a Deo, tamquam a primo principio et ultimo fine, pendeat.

2. Deus non solum est dominus eorum quae sunt, sed etiam eorum quae non sunt: id est, omnium possibilium. Nempe infinitorum mundorum, infinitorum Angelorum, infinitorum hominum, quos ipse potest producere. Omnia enim haec per totam aeternitatem, et per totam immensitatem spatiorum illi praesentia sunt, et lucent in mente ipsius non minus, ac si re ipsa existerent in suis naturis; et unico nutu potest efficere, ut ad obsequium ipsius in suis naturis praesto sint. *Ipse enim vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt.* Perinde enim omnia sunt in ipsius potestate; et de utrisque aeque quod vult potest facere. Sicut si rex aliquis esset adeo potens, ut non solum sub-

diti, quos actu habet, ipsi servirent, sed etiam totius mundi homines ad minimum nutum ipsius se paratos ad ejus obsequium exhiberent, is merito totius mundi dominus diceretur: ita Deus se habet respectu omnium possibilium.

3. Dicitur *omnium Dominus*, quia omne dominium et omne jus tam proprietatis quam jurisdictionis in Angelis et hominibus ab ipso derivatur: ab ipso enim est omnis capacitas dominii quia haec fundatur in natura rationali et libertate arbitrii. Ab ipso est omnis res, quae dominio possideri potest. Si ipse opes et bona, quae ab hominibus possidentur, assidue non conservaret, repente omnes essent extreme pauperes. Ab ipso quoque est omne jus verum ad aliquid obtinendum vel possidendum et de eo pro arbitrio disponendum; quod *dominium* vocatur.

Dicitur quoque *Dominus dominorum* non solum, quia omne dominium tum proprietatis, tum jurisdictionis ab ipso est; sed etiam, quia omnes domini et omnes reges terrae et omnes divites saeculi sunt Deo subjecti ut mancipia, et multo amplius: tantum enim juris habet in omnes reges, et dominos, et in omnia quae ipsis subjecta, quantum in minimum ver-

miculum terrae. Hoc maxime apparebit in die judicii, cum innumeri reges et domini jacebunt substrati pedibus ejus.

Pari modo dicitur *Rex regum*, et *Dominus dominantium.*

Dicitur *Rex saeculorum*, quia regnum ejus omnibus saeculis stabit et florebit, nec ullam umquam patietur cladem, imminutionem, aut adversitatem, sed in omnem aeternitatem erit firmissimum, et semper triumphans, in summo gaudio, et summa affluentia bonorum omnium: juxta illud Psal. 144: *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum,* etc. Reliqua omnia regna brevi finem accipient una cum regibus et opibus suis.

Dicitur *Deus Deorum*, quia omnis deificatio, et deiformitas in justis et beatis ab ipso est. Summa perfectio naturae rationalis consistit in assimilatione cum Deo; quam Dionysius passim vocat *deificationem*, *et deiformitatem:* ratione cujus beati dicuntur *deificati, deiformes*, *filii Dei*, *et Dii*, sano Scripturae intellectu. Si enim reges et judices ob participationem judiciariae potestatis, ob quam homines eos tamquam Deos terrestres reverentur, vocantur *Dii*, ut patet Psalmo 81. et Joan. 10. multo magis Sancti, qui non solum cum Christo ju-

dicabunt orbem, sed etiam ita sunt deificati et Deo similes effecti, ut altiori modo ei non possint assimilari, *Dii* possunt appellari. Hinc Angeli saepe in Scripturis, secundum editionem LXX *Dii* appellantur; et Psal. 46. de Apostolis dicitur: *Dii terrae vehementer elevati sunt;* et serpens, Gen. 3. *Eritis sicut Dii*, id est, similes Angelis deificatis et gloriosis: quamvis non ignorem illum locum etiam aliter exponi. Passim tamen Beati non sunt vocandi *Dii,* sed sancti, et beati, ad vitandum errorem ethnicorum, qui plures Deos inducebant, quos tamquam veros Deos colebant errore stupidissimo.

PRECATIO I.

Ad Deum, Dominum rerum omnium.

Ex lib. 10. *de Perfect.* cap. 7.

Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi. Tu enim es Rex regum, et Dominus dominantium. In ditione tua universa sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuae. Ordinatione tua perseverant omnia, et legem quam eis posuisti custodiunt, et singula pro captu et modo suo serviunt tibi, teque rectorem ac dominum

confitentur. Summum in omnia tenes imperium, potesque de omnibus pro arbitratu tuo statuere, nec quisquam a te factorum exigere potest rationem, et dicere: Cur sic facis? Omnes reges et monarchae terrarum cum omni splendore et magnificentia sua, cum regnis et exercitibus suis, cum divitiis et gloria sua, veluti terrae vermiculi sunt coram te, et instar nihili in conspectu tuo. Minimi servorum tuorum qui in coelesti palatio tibi serviunt, longe sunt majores omnibus illis; nec quisquam illorum majestatem vultus unius ex istis sustinere posset. Contabescit enim instar cerae mortalitas omnis ad praesentiam Angelici splendoris, et viribus defecta concidit. Quanta ergo est gloria majestatis tuae, quae omni Angelica majestate infinite est major et excellentior? Vere tu *magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis* tuae *non est finis. Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem.* Reges terrae et regna eorum repente corruent et ad nihilum redigentur; regnum autem tuum in aeternum stabit, et omnes inimici tui subjicientur pedibus tuis. Exscindetur funditus regnum diaboli et impiorum, quo nunc turbatur orbis, quo veritas et justitia opprimitur; et regnum

tuum omnibus dominabitur, erisque omnia in omnibus.

PRECATIO II.

Ad eundem, ibidem.

Tu omnium inventor, auctor, formator, conservator, sustentator, exemplar et finis. Propter te sunt omnia, ut serviant gloriae tuae; rationalia, ut te cognoscant, ament, colant, et laudent; irrationalia, ut usibus nostris serviant, et sua admirabili specie mentes nostras in admirationem et amorem tui excitent. Neque ideo viliores aut miserabiliores sumus, quia propter te sumus, et omnia nostra ad tuam gloriam destinantur. Haec enim est natura nostra, hoc summum bonum nostrum, gloriae servire tuae. Tibi enim servire, regnare est; tibi obedire, iter vitae aeternae. Melius est tibi servire, quam totius mundi tenere imperium. Dum enim obsequio tuo mens nostra intendit, sursum erigitur, seseque in unitatem colligit, tibique propior effectu illuminatur, et similis tui efficitur: dum aliis regendis incumbit, ab unione recedit, ad inferiora descendit, et in multitudinem dissipatur; neque aliquid invenit, cujus conjunctione melior evadat. Nihil enim

meliorem efficit mentem, nisi quod est supra mentem.

Magna fascinatio mortalium tantopere aestimare et sitire imperia, regna, gubernationes et praelaturas, quibus aliis praesint, et seipsos negligant; nihil non agere, jus omne et fas proterere, ut assequantur hanc umbram felicitatis, veri boni et salutis aeternae impedimentum. Nihil enim est quod vel animum magis avocet a coelestibus et implicet terrenis, vel majorem peccatorum suppediat occasionem, vel effrenatiorem tribuat peccandi licentiam, vel ampliorem exequendi copiam, vel salutares magis arceat monitores, vel magis aggravet peccatorum culpam, vel magis oneret peccatis alienis, quam principatus et praelatura. Quamquam qui non honoris et commodi sui causa, sed ut bono publico prosint, et plurimos ad salutem dirigant, eam susceperint et rite administraverint, magnum praemium ob rei difficultatem et boni quod procurant amplitudinem a te consequentur. Sed longe tutius est in imo delitescere et suae salutis curam agere. Da mihi, Domine, laudes humanas contemnere, honorem mundi fugere, et amare nesciri ab hominibus. Satis mihi sit nosse te, et cognosci vicissim abs te: servire tibi, et servitu-

tem tui omnibus mundi imperiis anteponere, omnibus dignitatibus et honoribus praeferre. Haec sit gloria mea, haec eminentia et sublimitas, haec omnis dignitatis titulus et insigne. Glorientur alii de regnis et principatibus, de nobilitate et opibus, caeterisque hujus vitae excellentiis: mea gloria sit esse servum tuum, et omnia mea esse addicta et mancipata tibi, et omnes meas cogitationes, omnes curas, omnes conatus, omnia studia servire gloriae tuae.

CONSIDERATIO III.

De Deo Gubernatore.

Gubernator dicitur, 1. quia mundum jam conditum cum omnibus rerum naturis quae mundo continentur, conservat, et movet regitque omnia congruenter naturae cujusque, singula ad proprias functiones dirigens, et singulis cooperans, rerum inferiorum ortum et interitum miro modo per corporum coelestium motus aptissima vicissitudine continuans.

2. Quia naturam rationalem, Angelicam et humanam, congruentissimis mediis externis et internis, legibus et exemplis, illustrationibus et affectionibus, minis et promissis, beneficiis et flagellis, ad proprium finem dirigit. Et

quamvis Diabolo permittat aliquam tentandi et vexandi potestatem ad nostrum exercitium, et majus meritum; ita tamen illum cohibet, ut parum possit, si velimus illi resistere.

3. Quia ex parte sua omnibus ab initio dedit sufficientissima media ad salutem; et post lapsum etiam sufficientia ex parte sua confert omnibus, prout ratio hujus status patitur: adeo ut per illum non stet quin omnes salventur.

4. Quia cuique reddet secundum opera sua, idque in conspectu totius naturae rationalis, in publico totius mundi judicio, ut omnibus clare constet aequitas et benignitas gubernationis et judicii ipsius.

PRECATIO.

Ad Deum gubernatorem.

Ex lib. 13. *de Perfect.* cap. 31.

Dominus regit me et nihil mihi deerit. Verum ut nihil mihi desit, necesse est, ut me totum permittam sancto regimini tuo, Domine, qui dotes naturae, qui munera gratiae, ad salutem congrua, suppeditas continenter. Da mihi ut sequar te, imo compelle ut sequar te. Trahe me post te: et si aureis funiculis tui amoris non mo-

vear, trahar ferreis catenis timoris tui. Tormenta tua, praesertim aeterna, objice menti meae, et da nunc ea ruminare coram te. Quid dicam, cum de gubernatione una cogito?

Quae supplicia, quas afflictiones et miserias in altera vita (quando irae tuae laxabis habenas, nec amplius eam continebit misericordia) peccatoribus praeparasti, quis explicet? Ibi carcere profundissimo et omni horrore plenissimo concludentur; ibi in stagnum sulphureum igne exaestuans demergentur; ibi corpora ipsa in cumulum congesta, instar lignorum aridorum, in medio sulphuris stagno ardebunt; ibi fletus et stridor dentium, prae doloris immanitate et impatientia; ibi daemonum horrenda monstra igneis corporibus induta in miseros saevient; ibi summi in corpore dolores, summae in sensibus omnibus afflictiones; ibi in anima, ex consideratione infiniti damni, et tantorum malorum, praesertim aeternitatis (per quam totam haec omnia damna et mala sine ulla mitigatione durabunt) incomprehensibilis tristitia et desperatio. O aeternitas! in bonis infinitum bonum, in malis infinitum malum! quantum malum, quam horrendum et intolerabile, ardere in fornace vel per unum diem? quantum per annum? quantum

per centum annos? quantum per mille, per centum millia annorum? Quantam tristitiam animo conciperes, si per centum millia annorum ardere deberes? at si accesserit aeternitas, supplicium hoc erit infinite majus, infinite pejus, et incomparabiliter majorem animo tristitiam tibi pariet. Quanta debet esse tristitia illa quae incomparabiliter major et gravior est, quam tristitia quae ex incendio centum millium annorum subeundo conciperetur? Quis ista perpendens non perhorrescat? quis non libenter, ut tanta mala evadat, et in securo portu se constituat, voluptates, honores et divitias hujus mundi contemnat, et arctam salutis viam capessat? quis summam non ducat fatuitatem, ob res terrenas et momentaneas immensi et aeterni mali periculo se exponere?

Rogo, Domine, per infinitam bonitatem et misericordiam tuam, per merita et mysteria sanctissimae humanitatis tuae, ut avertas a me fatuitatem istam, et mentem meam lumine tuo et salutari sapientia electorum tuorum perfundas, qua peccati, quod tanta mala meretur, gravitatem clarius cognoscere, et miserias illas acri cogitatione crebro possim revolvere; ut salubriter expendam, quantus sit oceanus malitiae in quovis peccato mortifero, ex quo

in animam et corpus exundat tantum pelagus miseriarum; et tanto studio coner illud vitare, et tibi placere, quanto par est ut summum malum fugiamus, et ad summum bonum contendamus.

TERTIUS PASSUS VIAE PURGATIVAE.

ACTUS SPEI.

Documentum.

A fide et timore ad spem fiduciamque nos progredi vult Tridentinum, ibidem Sess. 6. c. 6. Sic enim ait: Disponuntur ad ipsam justitiam, dum ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi, propter Christum, propitium fore. *Et infra:* De hac dispositione scriptum est; Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Marc. 2. et Matth. 9.

Huc conducunt sequentes considerationes de Misericordia Dei; *item* de Patientia et Longanimitate Dei; *item* de Clementia Dei; *item* de Deo, ut est Spes nostra. *Ingenti fiducia haec universa perpende.*

CONSIDERATIO I.

De misericordia Dei.

Misericors dicitur 1. ut fons omnis misericordiae et affectus miserendi in Angelis, et hominibus.

2. Quia quantum in ipso est, totum genus humanum, quod exciderat a salute aeterna in aeternam miseriam, paratus est ab ista miseria liberare, et transferre ad aeternam felicitatem; ad quod etiam sufficientissimum pretium obtulit: et insuper re ipsa innumerabiles ab aeterna miseria liberat, et ad fruitionem boni infiniti ac aeterni traducit.

3. Quia non facili modo id praestitit, sicut creavit mundum et beavit naturam Angelicam; sed immensis laboribus, doloribus, et expensis, seipsum humiliando, et demittendo ad naturae humanae vilitatem et infirmitatem, ad paupertatem et mendicitatem, ad tot miserias et afflictiones, ad labores et aerumnas, ad contumelias gravissimas, ad alapas, flagella, et sputa, ad crucem et mortem acerbissimam: denique se ipsum relinquendo sub specie panis et vini in sanctissimo Eucharistiae Sacramento. Haec omnia ex infinita sua miseri-

cordia praestitit, ut nos ab infinito malo eriperet, et ad infinitum bonum transferret.

PRECATIO.

Ad misericordiam Dei.

Ex lib. 2. *de Perfect.* cap. 21.

Primus gradus misericordiae.

Misericordias Domini in aeternum cantabo, miserationes ejus magnas et stupendas, antiquas et novas, quarum non est numerus. *Misericordia enim Domini plena est terra, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Tu Domine Deus meus, primitus de nihili tenebris in lucem essentiae, in speciem et naturam nos eduxisti; in naturam eximiam, inexterminabilem, vultus tui signaculo insignitam, et maximis ornamentis cumulatam: nimirum ut notitiam aliquam et sensum tui ac bonorum tuorum habere possemus. Ornasti sensuum vigore, quo totum hunc mundum corporeum et omnia quae in illo continentur (in quibus potentiae, sapientiae et pulchritudinis tuae vestigia mire elucent) possemus comprehendere et discernere. Ornasti mente et rationis judicio, ad notitiam veri, ad judicium boni et mali, ad ascensum et anagogen ex sensibilibus

ad intelligibilia. Ornasti memoria ad recordationem praeteritorum, ne semel percepta effluerent, ne novo semper opus esset ad intelligendum labore. Ornasti voluntate, ad fugam mali et sequelam boni, ad fruitionem finis obtenti; et inprimis ut tibi summo bono, et amore conjungamur, et fruitione inhaereamus. Omitto corporis ornamenta.

Secundus gradus misericordiae.

Haec prima evectio, haec prima misericordiae tuae beneficia, magna, inaestimabilia, sed rudimenta et initia majorum. Non enim in his constitit effusissima benignitas tua, sed ulterius progressa est ad perficiendum opus suum, et ad omne imperfectum nostrum exterminandum. Adjecit itaque evectionem secundam, ad secundum gradum priore multo eminentiorem nos efferens; nimirum ex statu naturae in statum gratiae et filiorum Dei, qui omni statu naturae, quantumvis perfecto et sublimi, est longe sublimior; ut qui nulli substantiae creatae naturalis aut naturali dignitati debitus esse possit. Nulla enim creatura per naturam suam potest esse filius Dei, heres regni, possessor Spiritus sancti. Hoc nobis secundae misericordiae tuae influxu collatum; hoc in gradu se-

cretorum tuorum facti participes, et conscii arcanorum a saeculo reconditorum, et supernaturali fide, spe, ac charitate tibi cohaerentes, omnibus rebus creatis facti sumus superiores. Sicut enim in rebus humanis summa quaedam dignitas est esse filium regis, et hic ipse titulus etiam hominem infimae sortis facit omnibus venerandum et suspiciendum, omnesque illum beatum praedicant; ita esse filium Dei, et heredem regni coelestis, in toto universo est status summae dignitatis, facitque hominem etiam Angelicis spiritibus venerandum; qui nisi ad similem dignitatem evecti essent, merito possent illi tantum honoris fastigium invidere. Hanc ob causam unus justus, *unus timens Deum*, *melior est*, et pluris apud Deum aestimatur, *quam mille* (id est, innumerabiles) *impii*. A quocumque abfuerit haec filialis dignitas, in nihilum computabitur, etiamsi omnibus naturae ornamentis sit cumulatus.

Tertius gradus misericordiae.

Sed neque hic misericordiae tuae largitas se continuit, verum ad tertium eumque altissimum statum evexit, nimirum a statu gratiae et filiationis inchoatae ad statum gloriae et filiationis completae. Dona enim gloriae infi-

nite sunt excellentiora quam dona gratiae, quibus in hac vita filiis tuis frui conceditur. Ibi enim est clara visio, hic fides et obscuritas; ibi possessio summi boni, hic spes et desiderium; ibi fruitio, hic expectatio, ibi securitas, hic anxietas; ibi triumphus, hic pugna. Quamvis enim nunc simus filii Dei et jus regni habeamus, nondum tamen illud possidemus, nondum de eo sumus securi, et possumus excidere; nondum nostrae mortalitatis miseriis liberati, nondum ignorantiae et tenebrae nostrae depulsae, nondum pronitas ad malum inflexibili rectitudinis regula firmiter castigata. Longe igitur excellentior et sublimior est ille gloriae status, quam status gratiae praesentis vitae, si bona utriusque spectentur. Haec fuit tertia et praestantissima naturae nostrae subvectio, hic supremus bonorum gradus, in quo omnis miseria et imperfectio depellitur. Ad hunc misericordiae tuae immensa benignitas nos destinavit, ut in eo mortalitas nostra absorbeatur, omnis miseria evanescat, omnis inopia et defectus evacuetur, omnis dolor et omnes lacrymae abstergantur, et nos in consortio bonorum et divitiarum tuarum in consummata gloria et gaudio constituamur. Huc coeli et terrae fabricatio, huc totius creaturae conditio, huc omnium tuorum

operum molitio spectat: omnia enim *propter electos*, propter gloriam filiorum tuorum, nimirum, ut quam plurimos ad gloriam et consortium regni tui adduceres.

Verum cum obtento secundo gradu ad hunc tertium nobis esset nitendum, omnibusque praesidiis essemus instructi, ut cum summa facilitate et jucunditate possemus ad illum conscendere; heu! nostra vecordia (parentis, inquam, nostri, in cujus arbitrio omnia nostra erant constituta) ordini directionique misericordiae tuae nos subtraximus, et a te aversi in exitium sempiternum praecipitavimus. Et sane longe optabilius fuisset nos in nostrum antiquum nihilum recidere, quam aeternis incendiis, quae nullo modo jam evadere poteramus, addici. Nihil supererat opis, nihil subsidii ab ulla natura creata; quia a nulla justitiae tuae condigna satisfactio pro crimine nostro poterat repraesentari. Actum prorsus videbatur de genere nostro, nec ulla spes salutis in posterum superesse; cum ecce tu, Deus meus, misericordia mea, nostram perditionem miseratus, rursum succurristi, sed admirando plane et inaudito consilio, omnibusque saeculis obstupescendo: nimirum, ut Filius tuus tibi consubstantialis et coaeternus nostram naturam as-

sumeret et homo passibilis similis nobis effectus divinae justitiae nostro nomine suis cruciatibus suaque morte satisfaceret.

Misericordias Domini in aeternum contabo. Exultavit cor meum, et gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi; cum cantavero in aeternum, et ultra.

CONSIDERATIO II.

De patientia et longanimitate Dei.

Patiens dicitur et *longanimis*, Graece *macrothymos*, quia etsi ipse sit infinitae majestatis et infinitae potentiae, et omnia gerantur in praesentia et conspectu ipsius; tamen omnia tolerat, et saepe longo tempore vindictam cohibet, ne in sempiternum interitum ruamus. Imo sustinet infinitam ingratitudinem, et infinitas injurias, quas mortales ei pro infinitis beneficiis rependunt; nempe idololatriam, blasphemiam, contumeliam, iram, odium, perfidiam, perjuria, sacrilegia, conspirationes cum hostibus ipsius, contemptum religionis, contemptum divinorum praeceptorum, contemptum passionis Christi; contemptum omnium beneficiorum, et bonorum coelestium, quae ipse nobis promisit Haec omnia assidue oculis ejus obversantur, et patienter suffert.

Porro eo major est injuria, quo major est majestas et potentia et praesentia ejus, in quem comittitur, et quo beneficia ejus sunt majora. Itaque cum majestas Dei ejusque potentia sit infinita, et beneficia infinitae aestimationis, et omnia in infinita luce praesentiae ejus gerantur: perspicuum est, istas quoque injurias infinitam quandam injuriae malitiam continere, et patientiam Dei, qua ista tolerat, infinitam esse.

2. *Patiens* dicitur, quia non solum bis, ter, quater, quinquies, decies haec omnia tolerat, vindictam cohibens (quod nullus princeps terrenus et mortalis faceret); sed centies, millies, decies millies, centies millies: quod omnia superat exempla, et omnem rationem humanam et angelicam.

Neque solum ipse manum vindicem cohibet suam; sed et vim angelicam et diabolicam, paratam abripere peccatores et demergere in profundum inferni, benigne coërcet: ut constat ex parabola Matth. 13. ubi servis volentibus colligere zizania vetuit, ne forte simul eradicaretur et triticum, et voluit utraque sinerentur crescere usque ad messem, id est, usque ad diem judicii.

3. Non solum haec omnia tolerat, et vin-

dictam cohibet, sed etiam beneficia sua effusissime continuat; *solem suum oriri faciens super bonos et malos, et pluens super justos et injustos.* Praeterea juratissimis hostibus suis tribuit divitias, honores et voluptates in summa affluentia: imo et imperia, regna, gloriam hujus mundi, sanitatem, pulchritudinem, longaevitatem, et quidquid homines in hoc mundo solent magni facere.

Notandum est, patientiam esse duplicem: alia enim cernitur, et consistit in tolerandis doloribus, aerumnis, afflictionibus, et incommodis hujus vitae; qualis fuit in Martyribus, et plerisque aliis Sanctis: alia in contumeliis, injuriis, contemptu. Haec sola in Deo locum habet; estque in eo infinita, et nobis summe imitanda, si filii ejus esse volumus. Utraque fuit in Christo eminentissima; quem proinde in utraque debemus imitari.

PRECATIO I.

Ad patientiam et longanimitatem Dei.

Ex lib. 3. *de Perfect.* cap. 4.

Quid te movit Domine, ut me conspectu tuo indignissimum et mortalium omnium ingratissimum huc usque toleraveris? ultricem manum

suspenderis? vim daemonum cohibueris? pericula mille averteris? ut e contrario innumeris beneficiis me cumulaveris? ut gratia praeveniente pellexeris? ut comitante promoveris? ut subsequente munieris? Fuit inaudita patientia tua, inexpectata longanimitas tua, nimia bonitas tua. O mirum supra omne mirum!

Non eges obsequiis nostris, neque ex salute nostra tibi aliquid commodi vel ex damnatione aliquid incommodi provenire potest. Et quamvis totus periret mundus, tu tamen nihil amitteres; neque beatitudo vel gloria tua idcirco minora forent, aut aliquid detrimenti caperent.

Amas tamen nos aeterno et infinito amore, et nihil non agis ut salvi simus, et beatitudinis tuae participes; et cum a te recesserimus, non deseris nos, sed multis modis revocas, sicut benignus parens filios fugitivos, veniam promittens, ne in aeternum exitium ruamus.

O immensam spiritus tui dulcedinem, qui tanta nobiscum uteris benignitate, non solum nihil tale promeritis, sed ingratis, sed rebellibus, sed assidue te offendentibus, et malum pro infinitis beneficiis tuis rependentibus!

Illumina tenebras nostras, lux primaeva; absterge ab oculis mentis nostrae nugacem nugarum hujus mundi fascinationem, sensum sim-

plicem pervertentem: ut quantum inter caduca et immortalia, inter fluxa et permanentia, inter bona hujus saeculi et futuri intersit, clare perspiciamus; ut illis contemptis haec persequamur, haec assequamur, his inhaereamus.

PRECATIO II.

Ad eandem.

Dominator Domine Deus, misericors et miserator, fortis et patiens, longanimis et praestabilis super malitia! Quam investigabilis est misericordia promissionis tuae, quam incomprehensibilis magnitudo bonitatis tuae! Ecce, ego surrexi et rebellavi adversus te Dominum meum; nec tamen terra aperiens os suum absorpsit me. Sacrificavi diis alienis servus cupiditatum mearum, et nondum ignis egressus a te devoravit offerentem ignem alienum. Contradixi fictori meo testa de samiis terrae, et virga ferrea furoris tui non comminuisti vas irae, vas aptum in interitum. Peccavi peccatum grande, et iniquitates meae supergressae caput meum, sicut onus grave gravatae sunt super me: sed tu dexteram tuae majestatis suppone, ne me demergat tempestas aquae, ne absorbeat me profundum. Servus sum inutilis, imo nequam: reddere quod debeo tibi, non pos-

sum sine te. Sed tu patiens Dominus, et in hoc ipso poeniteo, et indulgentiam tuam fusis lacrymis postulo. Peccavi, inique egi: ne quaeso intres in judicium cum servo tuo; sed patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Non dimittam te, nisi tu dimiseris me, ut plangam paululum delicta mea.

CONSIDERATIO II.

De clementia Dei.

Clemens dicitur, quia benignissimus erga peccatores. Primo, quia tamquam mitissimus judex facilis est ad mitigandas poenas peccatis debitas. Nam etiam in altero saeculo punit infra meritum, cum juste acriora supplicia damnatis posset irrogare: et in hac vita, ad unum verae poenitentiae gemitum, remittit poenam aeternam, eamque in temporalem commutat, brevi castigatione et levi contentus quam in vita multis facillimisque modis concessit redimi.

2. Quia facilis est ad condonandas omnes injurias in se commissas, etiam infinitas, et infinite quodammodo atroces. Nulla enim est tanta multitudo, nulla tanta enormitas peccatorum, quin ipse paratus sit ignoscere, et om-

nia condonare, si ex animo doleamus, et veniam petamus: idque non semel, non decies, vel centies, sed millies et decies millies.

3. Quia non solum paratus est ignoscere, sed etiam in filios adoptare et ad gloriae suae communionem admittere: quam ob causam, etiam aversos et inimicos, innumeris modis, cum insigni majestatis suae demissione revocat, ut redire volentibus possit ignoscere et aeternam damnationem ab illis avertere, eosque in filios adoptare et suae gloriae facere participes.

4. Maxime cernitur ejus dulcissima clementia in mittendo Filio, qui nos doceret et revocaret, qui nos ad poenitentiam et sanctam vitam adduceret; ut poenas inferni possemus evadere, et vitam aeternam gloriaeque ipsius communionem consequi.

PRECATIO.

Ad clementiam Dei.

Ex lib. 12. *de Perfect.* cap. 21.

Vere tu es Deus, cujus clementiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus! Domine, quis similis tui, qui in judice patrem exhibes, qui decem millia talenta condonas, audito

gemitu: „Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi"; quin imo qui decies millies centena millia lethalium criminum ignoscis, per unicum „Peccavi" cordis vere contriti? Domine, quis similis tui? sed clementiae tuae universa miracula longe antecellit missio Unigeniti tui, et talis missio.

Nostram ille naturam apprehendens, et arctissime in unitatem personae sibi adstringens, nascitur ex Virgine, prodit in mundi hujus tenebras nostrae mortalitatis excepturus miserias, famem et sitim, frigus et aestum, nuditatem et pauperiem, labores et fatigationes, probra et contumelias, persecutiones et insectationes, moerores et dolores, acerbitates et cruciatus, crucem denique et mortem. Nascitur in stabulo ut pauper et peregrinus, pannis involvitur et fasciatur ut infans, vagit ut mortalis, circumciditur ut Legi subjectus, fugit ut invalidus, latet ut imbecillis, vitam agit ut obscurus, parentibus obedit ut subditus, conversatur ut homo vulgaris, tempus manifestationis suae expectans: quo appetente, baptizatur a servo quasi peccator, jejunat in deserto, tentatur a diabolo, rudes sibi adoptat discipulos, sensimque eos erudit ad perfectionem, obit totam cum eis regionem, salutis viam docens populos, sanans infirmos, consolans afflictos, oppressos a

diabolo liberans, peccatores justificans, ignorantiae tenebras discutiens, mundum illuminans, miraculis coruscans, et divinitatis suae velut stricturas quasdam mortalibus ostentans, ad vitae emendationem et salutis curam omnes excitans.

Tandem post coelestem doctrinam impensam, post tot miracula et virtutum exempla, expleturus opus redemptionis nostrae se totum nobis in pretium expendit, et vitam cum sanguine nostrae saluti profudit, morte ignominiosissima pariter et acerbissima suscepta. O quam indebita miseratio, quam gratuita et probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, Regem gloriae pro vilissimis mancipiis, iisque suis inimicis assumere formam servi, tot suscipere labores et dolores, ipsam denique crucem sustinere ac mortem! Quis unquam parens simile quid fecit pro liberando filio, aut filius pro parente, aut amicus pro amico, quale fecit Deus pro homine, creator pro creatura, suprema majestas pro vermiculo?

Sed neque hic stetit illius misericordia: omnes enim suas actiones et passiones pro nobis susceptas, omniaque merita per totam vitam patrata in unum collegit, et ex illis thesaurum

nobis perpetuae reconciliationis construxit, quem Sacramentis inclusum nobis instar legati opulentissimi reliquit. Mirabilem plane thesaurum, divitias infinitas, quibus tam facile et mors sempiterna redimitur, et regnum coeleste, aeterna gloria, et possessio divinitatis comparatur. Denique ut infinito in nos amori suo nihil reliqui faceret, carnem et sanguinem, quae pro nobis impenderat in lytrum seu pretium redemptionis nobis reliquit et in sacrificium, quo justitiam ipsius nobis propitiemus, et in alimentum, quo in vitam aeternam reficiamur.

Vicisti, Domine, misericordia tua omnia exempla; vicisti omnia ingenia, et omnem expectationem creaturarum omnium. Quis ista considerans non vicissim amet te? quis non sit paratus se totum in tuum obsequium et honorem addicere ac impendere, qui tam multis modis teipsum totum in nostram salutem impendisti et superimpendisti? Quid enim sunt obsequia nostra ad beneficia tua, ad actiones et passiones tuas, et vita nostra ad vitam tuam? gutta ad mare, calculus ad montem, pulviculus ad globum terrae, imo adhuc longe minus; quia finiti ad infinitum nulla proportio. Quid ergo rependimus tibi, cum vitam nostram et omnia nostra tibi consecramus; praesertim cum

tot aliis nominibus et titulis haec tibi sint obnoxia et debita? Debet quispiam decem millia talentorum principi ex furto, et alia decem millia ex damno dato, et alia ex mutuo, et tantundem ex emptione; habet tantum minuta duo: an princeps ille putabit duobus minutis sibi pro tot debitis tam ingentibus satisfactum? minime gentium. Sed haec est bonitas et misericordia tua. Etsi tanta et tot nominibus tibi debeamus; tamen si duo nostra minuta, animam scilicet et corpus, obsequio tuo tradimus, acquiescis, et satis tibi factum putas, majora non exigens, et tamen ea ipsa in re non tibi prosumus, sed nobis consulimus. Servire enim tibi, regnare est; et omnibus relictis tibi soli vacare, soli inhaerere, summum bonum nostrum. Vae mortalium caecitati, quae haec non considerat! illumina tenebras meas, lux mea, ut magnitudinem misericordiae tuae, et multitudinem miserationum tuarum cognoscam, et cognitam aestimem, et suis appreciem momentis, quantum fas in tenebris hujus vitae, eaque mihi semper ob oculos versentur, ut anima mea tanta benignitate, tantisque beneficiis provocata, vicissim inflammetur in amorem tui, seque totam tibi devoveat et consecret. Serviat tibi omnis vita mea; intenta sit

in gloriam tuam omnis cogitatio, omnis fortitudo, omne studium, omnis actio mea. Exhauriantur in tuum obsequium omnes vires animi ac corporis mei, ut aliquid saltem tuo rependam amori, nec omnino ingratus coram te inveniar. *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, et miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum,* quando *renovabitur ut aquilae juventus tua.* Benedicite pariter mecum Domino omnes Angeli et Archangeli, omnes Principatus et Potestates, omnes Virtutes et Dominationes, omnes Throni, Cherubim quoque atque Seraphim: benedicite, laudate et superexaltate illum in saecula, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Laudent illum coeli, terra, mare et omnia, quae in eis sunt, laudent et superexaltent in saecula.* Illi honor, illi benedictio, illi gratiarum actio ab omni creatura, in omni loco dominationis ejus, in omnes generationes saeculi saeculorum. *Amen.*

CONSIDERATIO IV.

De Deo, ut est spes nostra.

Spes nostra dicitur, 1. quia ipse est summum bonum, quod supra omnia et prae omnibus bonis desideramus et speramus, ad quod cor nostrum et tota spes nostra ultimo anhelat.

2. Quia ipse est, per cujus infinitam benignitatem, sapientiam, et potentiam speramus, sive agatur de mediis, sive de ultimo fine. Nemo enim praeter illum potest nobis illa praestare. Itaque ipse est spes nostra, et tamquam summum bonum, quod speramus, et tamquam auctor et adjutor, cujus ope speramus obtinere.

3. Etiam Christus dicitur *spes nostra,* ratione meritorum, per quae confidimus nos omnia ad salutem necessaria et ipsam salutem obtenturos, sine quibus nulla spes salutis superest. Denique dicitur Deus *spes omnium finium terrae et in mari longe*, quia omnes nationes a Deo bona sua expectant, et ab illo petunt.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est spes nostra.

Ex disput. *de Praedest.* sect. 7.

Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo; quoniam adhuc confi-

tebor ei, salutare vultus mei, et Deus meus. Qui dedisti velle, dabis perficere, donec videaris Deus Deorum in Sion. Dabis gratiam, Domine, et uberrimam gratiam, qui merita supplicum excedis et vota, per viscera misericordiae Christi tui, qui visitavit nos oriens ex alto, qui est spes nostra, et desiderium collium aeternorum. Modicae fidei quid dubitamus?

Cogitasti de nobis cogitationes pacis, et non afflictionis, cogitationes salutis et non interitus, ut nos vitae aeternae et omnium bonorum tuorum consortes efficeres. Non occultis decretis saluti nostrae praejudicasti, neque gratiis incongruis selectis ei veluti insidiaris; sed serio, non in speciem, eam desideras, et procuras. Si enim cum adhuc inimici essemus, Filium pro nobis mori voluisti, et per ejus merita nos tibi in filios adoptasti; quanta sinceritate jam ages nobiscum, quando jam filii sumus effecti, et Spiritu tuo vivificati, ut paratam haereditatem adipisci possimus? Vel hoc unum abunde sufficiat in signum sincerissimi amoris, ad omnem sinistram imaginationem ac suspicionem depellendam.

Jussisti nos esse securos ex parte tua, praeparato nobis auxilio, quo certissime justitiam retinebimus et salvi erimus, nisi per nos ste-

terit, nisi auxilium oblatum neglexerimus, et tuae nos gratiae subtraxerimus. Posuisti omnia in arbitrio nostro, perinde ac si solis naturae viribus regnum obtinendum esset. Justificati enim per gratiam tuam non minus facile in justitia accepta perseverare et legem divinam implere possunt, quam hominibus politicis per naturam facile est justitiam politicam externamque in se tueri, et legem civilem implere. Nemini hoc incredibile aut mirum videatur. Non enim duro nos jugo et gravi onere premi voluisti, sed suavi et facili; ut mandatorum tuorum viam currere possemus alacres. Postulat justitia politica, ut magistratibus per omnia civis obtemperet, et opere externo neminem laedat; non blasphemet, non pejeret, non occidat, non percutiat, non maledicat, non convitietur, non moechetur, non furtum committat, non pacta violet, non vectigalia fraudet, in contractibus neminem circumveniat, non inebriet. Haec omnia justitia politica complectitur. Non parum est difficultatis, ut haec omnia per naturam praestentur. Quotus enim quisque est infidelium vel eorum, qui justitiae christianae sunt expertes, qui ista omnia praestiterit? At innumerabiles sunt, qui per gratiam tuam universam legem ita servant, ut non solum a pravo opere exterius absti-

neant, sed etiam mentem a pravo affectu interius puram praestent, et in justitiae totius amore cultuque perpetuo retineant. Collocasti itaque et perseverantiam et praedestinationis complementum et totam salutem nostram in arbitrio nostro, ut si velimus, salvi simus, et si velimus, pereamus. Apposuisti nobis vitam et mortem, ut ad utrum libuerit manum extendamus. Exigis a nobis conditionem justissimam, a qua omnia pendere voluisti, et ipsam ab arbitrio nostro: nimirum, ut donum justitiae, nullis nostris meritis nobis collatum conservemus. Quae sane conditio nobis per gratiam tuam facilis est, eamque omnino praestabimus, si protectionem et opem gratiae tuae assidue imploraverimus, eique ut par est, et sicut possumus et debemus, fuerimus cooperati.

Concede mihi hoc, Deus meus, intelligere, intelligendo sperare, sperando perficere, per Christum Dominum nostrum. Amen.

TERMINUS VIAE PURGATIVAE.

ACTUS CONTRITIONIS.

Documentum.

Ut ad terminum viae purgativae pervenias, a fide, timore, spe ad veram contritionem in Dei

amore fundatam procede: de qua ita Tridentinum *citatum* Sess. 6, cap. 6. Disponuntur ad ipsam justitiam, dum Deum, tamquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet; *vel cum a baptismo quis lapsus est, ante confessionem*, denique dum proponunt suscipere baptismum, *vel confiteri*, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti. *Act. 2.*

Ut porro intelligamus per hujusmodi dispositionem nos terminum viae purgativae assecutos esse, sive perfectam cordis instaurationem, sic loquitur Tridentinum cap. 7. subsequenti. Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur; quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum: unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. *Ad Tit. 3.*

Ceterum ad ultimam hanc praecipuamque dis-

positionem perutiles considerationes sunt de Deo, ut est vita nostra. *Item* de Deo Protectore. *Item* de Deo Adjutore. *Item* de Deo Susceptore.

CONSIDERATIO I.

De Deo, ut est vita nostra.

Deus generatim vita dicitur: 1. Tamquam fons omnis vitae; nam omnis vita et suprema et media et infima, Angelorum, hominum, animalium et plantarum ab ipso est, tamquam quaedam illius vitae fontalis adumbratio vel participatio, clarior vel obscurior: et omnis vita in ipso eminenter, et ab aeterno, et sine mensura continetur.

2. Quia ipse est vitá infinita, immensa, aeterna, tum formaliter, tum objective. Formaliter quidem, quia vita suprema formalis in ipsius visione, amore et fruitione consistit. Ipse autem est sua visio, suus amor, sua fruitio; ac proinde est sua vita formalis. Objective vero est sua vita, quia est sua vitalis essentia, in cujus visione, amore, et gustu vita formalis aeterna et beata consistit. Vita ejus infinita est, sicut visio ejus et amor et gaudium de essentia sua, quae est bonum infinitum, in quo infinita bona continentur. Itaque sicut totam

sapientiam suam, totum amorem, totum gaudium suum a seipso habet tam ex parte objecti, quam ex parte ipsius, ut sic dicam, actus vitalis, ita totam vitam suam ex utroque capite, et secundum utramque considerationem a seipso habet.

3. Dicitur *vita* omnium rerum, etiam possibilium, secundum esse objectivum et intelligibile. Omnia enim in illo vivunt per suas ideas et conceptus aeternos, quibus illa concipit, et intelligit; per illos enim conceptus existunt omnia in mente divina objective, et lucent non minus, ac si foris existerent. Atque hoc modo accipiunt quoddam esse vitale et aeternum, quod nihil est aliud, quam a mente divina intelligi. Ratione hujus conceptus vitalis omnia dicuntur vivere in Deo, sicut opus in mente artificis.

Quarto peculiariter dicitur *vita nostra*:

1. Quia cum mortui essemus peccatis, et addicti morti aeternae, quae mors secunda dicitur, ipse ab utraque nos per Filii mortem liberavit et vitam gratiae, per quam possemus pervenire ad vitam aeternam, nobis infudit.

2. Quia non semel tantum vel bis mortuos peccatis vivificat, sed centies et millies; imo paratus est omnes omnino peccatores, quoties-

cumque se per peccatum occiderint, et vitam divinam in se extinxerint, iterum vivificare, si ad ipsum per veram poenitentiam confugerint. Imo innumeris modis eos ad vitam hanc vocat, allicit, invitat, compellit.

3. Dicitur *vita nostra*, tum quia est causa omnium donorum gratiae et gloriae, quibus vitam aeternam, divinam, sublimissimam et beatissimam vivemus; tum quia ipse est objectum vitae aeternae, cum in ipsius visione et fruitione vita aeterna consistat.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est vita nostra.

Ex lib. 9. *de Perfect.* cap. 5.

Quid agimus, mortales, habitantes in umbra mortis, et profugi a facie ejus in quo omnia vivunt? Eja, sinamus mortuos sepelire mortuos, et curramus ad Deum fortem, vivum, qui est vita Sanctorum omnium. Aspira nobis et mitte spiritum vitae, o vita vitalis, o vita vivificans, o vita multiplex; et sciemus quia mortui per te rursum vivent.

Vere tu es amor omnipotens, benevolentissima virtus, lumen aeternum, incommutabilis ratio, aeterna dulcedo, creans mentem ad te

participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fecundans ad fructum, dirigens ad aequitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Sic nos coronas in misericordia et miserationibus, sic undique beneficiis tuis imples et cingis, ut nobis benignitatem et amorem tuum declares, et ad vicissim amandum excites, *donec vivamus aeternum.*

CONSIDERATIO II.

De Deo protectore.

Protector dicitur *1.* Generatim, quia omnem naturam creatam conservat in sua specie, integritate, et bono statu naturae consentaneo, et quantum cujusque conditio fert, tuetur eam a noxiis.

2. Speciatim dicitur *protector* respectu hominum, qui infinitis periculis et incommodis sunt subjecti.

1. Quia ab innumeris peccatis nos tuetur, in

quae quilibet nostrum incideret, nisi ejus benigna protectio nos muniret: nullum enim est peccati genus, in quod, in tanta naturae imbecillitate et ad malum pronitate, non fuissemus diaboli astu et potentia facile impulsi, et non quotidie adhuc impelleremur, nisi ipse nos sua benignitate miris modis protegeret. Unde nemo potest in seipso gloriari, quasi sua industria ipse omnia illa evitaverit: sed debet se coram Deo humilare, et agnoscere suam imbecillitatem Deique benignitatem, nec minus gratias agere de malis quae non fecit, quam de bonis quae fecit.

2. Quia sicut protexit nos ab innumeris peccatis, in quae alioqui fuissemus lapsuri, ita quoque protexit ab innumeris periculis damnationis aeternae, quam millies jam incurrissemus, nisi sua clementia nos protexisset. Quicumque enim est in statu peccati mortiferi, reus est ignis aeterni, ad quem statim a daemonibus abriperetur, si Deus id ipsis permitteret. Unde eo ipso quo nos protegit a peccato, ex consequenti, et mediate etiam protegit a damnatione aeterna.

3. Quia non solum hac ratione nos protegit a damnatione, sed etiam immediate et directe. Nempe quotiescumque re ipsa sumus in statu

peccati mortiferi; tunc enim stamus ad portas inferi, et nihil ad damnationem aeternam superest, quam ut Deus justissimam iram suam erumpere gestientem, non cohibeat, vel diabolum nos abripere ardentem, non coërceat, vel causas alias creatas mortem nobis illaturas non avertat. Verum ipse infinita clementia sua et iram suam cohibet, vim diabolicam comprimit, et causas alias, unde mors alioqui nobis obveniret, saepenumero avertit, hoc modo nos a damnatione protegens et servans ad poenitentiam ac salutem.

4. Non solum a peccatis et damnatione aeterna, sed etiam ab aliis innumeris calamitatibus, afflictionibus, tentationibus, incommodis nos protegit, in quae sine ipsius benigna custodia eramus prolapsuri, et per quae in varia peccata, ac demum in aeternum exitium, eramus devolvendi. Ipse enim certissime novit, quid ex singulis hujusmodi casibus nobis esset obventurum: quid animae nostrae exitium, quid salutem esset allaturum. Unde ea quae praevidet futura aliquando exitio, saepissime sua benignitate avertit. Itaque de his omnibus quotidie illi gratiae agendae.

5. Quia justos peculiari cura protegit tamquam filios, et haeredes regni; sed maxime

eos, qui se ejus obsequio et gloriae consecrarunt. Circa hos protectio est valde singularis. Sunt enim veluti gemmae pretiosae et margaritae in thesauris Domini. Unde Dominus eos tamquam gemmas asservat, et custodit ut pupillam oculi, qua nihil homini carius; et protegit sub umbra alarum suarum, sicut gallina pullos suos.

6. Quia etiam est *protector* beatorum, quatenus eos protegit ab omni lapsu, ab omni peccato, ab omni errore, ab omni tristitia, a morte, et omni incommodo corporis et animae. Hoc autem facit, quatenus custodit et continuat in illis lumen gloriae. Hoc enim si per cessationem divini influxus aliquando extingueretur, mox desinerent esse beati, et rediret pristina infirmitas, et possent relabi in omnes nostras miserias, ac etiam in aeternam damnationem.

PRECATIO.

Ad Deum protectorem.

Ex disputat. *de Praedest.* sect. 7.

Protector fidelissime, quid dicam de te? Mille hominum, mille daemonum insidiis expositus eram: ne irretirer, protexisti me. Innumeris incommodis, calamitatibus, aerumnis obruendus eram:

ne impeterer, protexisti me. In scelera enormia, in flagitia infinita lapsurus eram: ne caderem, protexisti me. Heu! quoties peccavi, et malum coram te feci! Ne peccatis peccata cumularem, protexisti me. Jamjam hostium tuorum praeda futurus eram et pabulum ignis aeterni: sed ne fierem, protexisti me. Quid superest? Perge, mi Domine, custodire me ut pupillam oculi, et sub alarum tuarum umbra protegere.

Nihil sane ex parte tua nobis deest; nihil est cur firmissimam et certissimam spem in tuo auxilio collocare non debeamus: tota dubitatio, et eventus ambiguitas est ex parte nostra. Longe felicior est conditio nostra, quam si (ut inimici gratiae tuae volebant) naturae viribus omnia praestare possemus, et hisce solis relicti essemus. Nunc enim non solum nostra industria, sed etiam tua singularis providentia in salutem nostram excubat. Haec torpentes excitat, jacentes erigit, labantes retinet, languentes corroborat, proficientes animat, et mille modis ad salutem dirigit ac impellit. Denique tantum praebet vel offert auxilii, ut omnia sint faciliora et magis expedita per gratiam, quam illi haeretici ea volebant esse per naturam.

Dominus spes mea; quem timebo? Dominus

protector vitae meae; a quo trepitabo? Pergam habitare in adjutorio Altissimi, et in protectione Dei coeli commorari. Amen.

CONSIDERATIO III.

De Deo adjutore.

Adjutor dicitur; 1. generatim respectu omnium: quia omnis potentia aliquo modo operativa, et omnis vis creata, ita ab illo assidue dependet, ut nulla possit operari, aut in aliquem actum exire absque illius concursu, cooperatione, et adjutorio: quod adjutorium ipsi facile est omnibus praebere; cum ipse rebus omnibus intime sit praesens, et actu semper naturam, esse, et vires influat in res omnes.

Secundo, peculiariter dicitur *adjutor noster*, idque speciatim.

1. Quia sine ejus singulari adjutorio nemo potest a statu peccati et damnationis refugere, et ad statum filiorum Dei assurgere.

2. Nemo potest hostium suorum insidias evadere, et eorum tentationes superare.

3. Nemo bonum, quod ad vitam aeternam sit utile, operari.

4. Nemo in bono usque ad finem perse-

verare. In his omnibus ejus singulari adjutorio opus est.

Tertio etiam Beatis adjutor est, quia in statu beatitudinis nemo potest ipsum videre, et beatifico amore ipsum amare, nemo ipsius immensam dulcedinem gustare, hoc est, ipso frui, sine peculiari adjutorio, quod per lumen gloriae, et charitatis donum praestatur.

PRECATIO.

Ad Deum adjutorem.

Ex lib. 5. *de Perfect.* cap. 4.

Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Quid enim possum sine te? Vere nihil boni possum cogitare ex me tamquam ex me, nedum dicere, et nedum facere; et quomodo potero perseverare sine te, inter mille pericula hostium insidiantium animae meae? Nihil possum, nihil omnino sine te, Domine: tu solus potes omnia, et ego potero omnia; sed in te, et per te solum, qui me adjuvas et confortas.

Insere animo meo profundissimam reverentiam et humilitatem in consideratione tantae potentiae tuae: tu enim de me, et de omni creatura tua potes disponere et statuere pro arbitrio tuo; nec quisquam tibi potest dicere:

Cur sic facis? Tua enim sunt omnia, et opera manuum tuarum. Semper te mihi praesentem cogitem, et extenta manu omnipotentiae tuae aeternae damnationis fulmen minitantem, si sanctissimas leges tuas violavero. Adde etiam fiduciam et securitatem cordi meo in te, ut neminem timeam praeter te, nec ulla creatura me a charitate tua abstrahere valeat. Quid enim sunt cetera omnia coram te, aut quid mihi absque tuo nutu possunt nocere? Quod si ab aliquo me affligi permiseris, hoc ipsum mihi ad salutem vertas, et ad aeternam vitam cooperari facias. Amen.

CONSIDERATIO IV.

De Deo susceptore.

Susceptor dicitur; 1. quia cum totum genus humanum excidisset a salute, et incurrisset reatum damnationis aeternae, ipse solus misertus illius, benignissime suscepit illud redimendum et instaurandum, ut salutem consequi posset; juxta illud Luc. 2: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.*

2. Quia etiam inimicos suos, a quibus gravissimis injuriis affectus est, si ad ipsum redire velint, libentissime suscipit, omnes inju-

rias condonans, eos in pristinum gradum restituens, et iterum in filios adoptans, jure coelestis haereditatis, quo exciderant, redintegrato. Sicut pater filium prodigum post tot libidines, et omnem substantiam cum meretricibus absumptam laetissime suscipit, et in pristinum statum restituit.

3. Quia omnes in quacumque afflictione ad ipsum confugientes, benigne excipit, consolationem infundendo, et opportuno tempore opem ferendo. *Nullus enim speravit in Domino, et confusus est.* Et ipsemet ait: *Venite ad me, omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.*

4. Quia omnes, qui se ejus obsequio addixerint, peculiari cura suscipit protegendos, illuminandos, et formandos in filios Dei, et ad omnem perfectionem, qua Deo quam simillimi intellectu, affectu, et moribus externis efficiantur, sintque quam maxime idonei coelesti haereditati capessendae.

5. Quia justos ex hac vita migrantes suscipit in suum regnum, et ad gloriae suae, omniumque bonorum suorum beatissimam communionem. Psalm. 118. *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione mea.*

Nota. Post obitum auctoris comperimus in manuscriptis ejusdem ea, qua spectant actum *perfectae contritionis*, quae a principibus viris feminisque cum fructu usurpata. Illa hic opportune insero, iisque subjungo a me collectas aliquot jaculatorias precatiunculas, *Viae purgativae* subservientes: quales etiam duabus aliis *Viis*, in commodum pii lectoris, subjiciam.

Fundamentum contritionis est amor Dei super omnia.

Primo, Deus amandus ob eminentiam suae naturae.

Deus nobis amandus supra omnia creata et creabilia. Primo propter infinitam naturae suae eminentiam supra omnia, qua dignus est amore et aestimatione supra omnia, absque consideratione beneficiorum ejus. Tanta enim ipsius est majestas, et tam infinite supra omnes perfectiones et excellentias creatas elevata, ut omnia in ipsius conspectu et comparatione sint instar nihili. Unde ex eo quod ipsius sum creatura, debeo ipsius honorem et voluntatem anteferre et proponere lucro totius mundi, et potius subire omnia incommoda et tormenta, quam facere aliquid, etiam minimum, quod sit contra ejus voluntatem, et mecum statuere, infinities melius esse ipsius voluntatem impleri,

quam omnes homines salvari; imo quam totum bonum Angelorum et hominum conservari. Itaque debeo ipsius voluntatem infinities pluris aestimare, quam omne commodum meum et totius naturae creatae, quatenus est bonum naturae creatae; idque absque ulla beneficiorum consideratione. Haec enim obligatio nascitur ex eo, quod ipsius sum creatura.

Secundo, Deus amandus ob infinita sua beneficia.

Secundo, Deus nobis amandus est ob plurima sua beneficia, quorum singula infinitae sunt aestimationis; propter quae deberemus illi infinitum amorem, infinitam gratiarum actionem, infinitum obsequium, si praestare possemus: quia ex se digna sunt infinita recognitione et compensatione. Haec beneficia considerantes, et Deum, ut fontem benignissimum illorum, excitamur ad illum amandum et aestimandum supra omnia, et ad omne obsequium ei praestandum, ad illum honorandum, et procurandam ejus gloriam, et ad gratias agendas. Sicuti aulicus considerans beneficia, quae a suo principe accepit, et illum ut auctorem et largitorem horum beneficiorum perpendens, excitatur ad illius amo-

rem et obsequium, et ad illum ubique laudandum, ejusque honorem promovendum et defendendum.

Contritio nascitur ex supradicta duplici consideratione.

Quemadmodum ex duplici ante dicta consideratione possumus Deum amare supra omnia: ita quoque ex eadem possumus excitare contritionem, qua de commisso a nobis peccato doleamus supra omnia. Primo, dolendo de peccato, quatenus est quidam contemptus, vel injuria, vel inobedientia, vel ingratitudo infinitae majestatis, quam infinite supra omnia aestimare debemus, absque ulla beneficiorum consideratione. Vel, ut est consideratio vel contemptus divini praecepti, divinaeque voluntatis, quam supra omnia commoda et incommoda nostra infinite aestimare, et rebus omnibus infinite debemus praeferre. Secundo, dolendo de peccato, quatenus est contemptus infiniti benefactoris, quem propter sua beneficia infinite aestimare, et honorare, et diligere deberemus, et infinitam gratitudinem rependere.

Praxis contritionis.

Peccati indignitas.

O Domine, Deus meus! O summum, aeternum, et immensum bonum meum, infinite supra omnia bona elevatum! Doleo ex tota mente, ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus meis, quod sanctissimam voluntatem tuam, quod aequissima praecepta tua, quae infinite aestimare, et omnibus bonis creatis, omnibus voluptatibus et honoribus infinite anteponere debebam, toties violaverim, toties parvipenderim et contempserim; et consequenter, quod tuam infinitam majestatem, illa severissime praecipientem, infinito amore, honore et obsequio dignissimam, quam infinite suspicere, aestimare et revereri debebam, toties offenderim, toties contempserim et injuria affecerim: quod contempserim tuam omnipotentiam, tuam sapientiam, et praesentiam; contempserim tuam misericordiam et justitiam, omnia tua beneficia et promissa, omnes tuas minas et supplicia, tuam amicitiam et benignitatem; tuam passionem et mortem.

Dolor.

Ob hanc causam doleo sane ex intimis animae medullis, ex toto corde, ex tota virtute mea. Utinam infinitum dolorem, et infinitam detestationem concipere possem, sicut ipsa peccata infinito dolore et detestatione digna sunt, cum malum sint infinitum!

Propositum emendationis.

Firmiter propono, per gratiam tuam, peccata illa confiteri, et me emendare, et poenitentiam pro illis injunctam implere. Firmiter quoque statuo, per ejusdem gratiae tuae auxilium, sanctissima praecepta tua semper prae oculis habere, et infinite supra omnia bona creata aestimare; ita ut millies malim mori, quam unum ex illis violare.

Deprecatio veniae, et iteratus dolor.

Itaque miserere mei Deus, miserere mei et ignosce mihi. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele inquitatem meam. Miserere mei secundum misericordiam tuam naturalem, et secundum misericordiam tuam liberalem. O Domine, Deus meus, doleo, quod

te, summum benefactorem meum, fontem omnium bonorum meorum, qui me ex nihilo condidisti, qui me ad imaginem, et similitudinem tuam formasti; qui me ad communionem gloriae tuae, omniumque bonorum et gaudiorum fecisti; qui me perditum ab aeterna morte eripuisti, et rursus ad aeternam vitam destinasti; qui mea causa homo factus es, et miserias nostras subiisti; qui in carne mortali tot labores et dolores, tot acerbitates et indignitates, tot probra et contumelias, tot tormenta et vulnera, denique crucem et mortem pro me sustinuisti: quae propter infinita beneficia infinite aestimare, amare, honorare, colere, et omni gratitudine prosequi debebam: doleo, inquam, quod Te toties offenderim et contempserim, tua praecepta sanctissima nihili aestimando et violando; quae tamen vel ex gratitudine, omnibus rebus creatis anteponere debebam: quod toties pro infinitis beneficiis infinitam ingratitudinem et injuriam rependerim. Ob hanc causam doleo ex animo, doleo intimis sensibus, et opto mihi dolorem et detestationem millies majorem, eumque a te millies et millies, humillime et ex mero amore tui, a te flagito. Miserere mei, Deus meus; miserere mei, et ignosce mihi, quia tu Deus meus es,

quia tu summum bonum meum es. Miserere mei, creaturae tuae, vili, abjectae et indignae. Miserere, miserere, miserere!

Subjunguntur jaculatoriae precatiunculae fundatae in via purgativa.

Ad excitandam fidem.

Domine, quis es tu, et quis sum ego? Tu es, qui es; ego sum, qui non sum. In vita sanctae Catharinae Senensis.

Cognoscam te cognitor meus, cognoscam te, sicut a te cognitus sum. S. Aug. lib. 10. Confess. cap. 1.

Domine, adauge nobis fidem. Luc. 17.

Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Joan. 17.

Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. Marci 9.

Ad excitandam timorem.

Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui. Psalm. 118.

Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psalm. 142.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas

me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Job. 14.

Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat. Job. 13.

Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam; et stipulam siccam persequeris. Ibidem.

Ad excitandam spem.

Etiamsi occideris me, in te sperabo, Domine. Job. 13.

In te speraverunt patres nostri; speraverunt, et non sunt confusi. Psalm. 21.

Domine Deus meus, in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me. Psalm. 7.

Spes mea, tu, in die afflictionis. Jerem. 17.

In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum. Psalm. 30.

In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Psalm. 61.

Ad excitandam contritionem.

Pater, peccavi in coelum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus. Luc. 15.

Deus, propitius esto mihi peccatori. Luc. 18.

Secundum misericordiam tuam memento mei, tu, propter bonitatem tuam, Domine. Ps. 24.

Peccavi Domine, peccavi; et iniquitates meas agnosco. In Orat. Manassis.

Ne damnes me in infima terrae loca; quia tu es Deus, Deus, inquam, poenitentium. Ibid.

Multiplicatae sunt iniquitates meae Domine, multiplicatae sunt iniquitates meae: et non sum dignus intueri et aspicere coelum prae multitudine iniquitatum mearum. Ibid.

LIBELLUS SECUNDUS.

CONSIDERATIONES VIAE ILLUMINATIVAE,

PRO PROGREDIENTIBUS.

DE GENERALI VIRTUTUM AUGMENTO, DEQUE PRIMIS AUGMENTI PRINCIPIIS.

Documentum.

Pergamus insistere accuratae tutaeque doctrinae Concilii Tridentini, quod ita de acceptae justificationis incremento *docere pergit.* Sess. 6. c. 1. Sic ergo, *ait*, justificati, et amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem. *Et infra;* In ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. *Apoc. ult.*

Quid igitur? Scrutandae sunt radices justificationis semel acceptae, unde eadem justificatio adolescere potest, ac debet. Porro radices illae sunt variae justificationis ipsius causae, de qui-

bus sic Tridentinum Sess. 6. cap. 7. Justificationis causae sunt: finalis quidem, gloria Dei, et Christi, ac vita aeterna; efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat, signans et unguens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae. *Itaque huic rei opportuna erit consideratio* de Deo, ut est ultimus finis omnium. *Item* de Deo sanctificatore.

Pergit assignare causas alias Tridentinum *eodem loco:* Meritoria autem, *inquit*, dilectissimus Unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione, in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit. Instrumentalis item, Sacramentum Baptismi. *Idem censendum de aliis Sacramentis.*

Demum unica formalis causa est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem.

Hisce dictis causis expendendis subserviet consideratio de Deo redemptore. *Item* de justitia Dei.

CONSIDERATIO I.

De Deo, ut est ultimus finis omnium.

Id quod est primum rerum principium, necessario etiam est finis omnium. Nam primum principium, in efficiendo et producendo extra se, non potest ultimo intendere alterius bonum, quam suum. 1. Ratio est, quia caetera omnia sunt infinito intervallo infra ipsum posita. Unde illorum bonum non est tanti momenti, ut possit in illo ultimo conquiescere: imo est instar nihili coram illo, cum res omnes sint instar nihili ad ipsum collatae. Debet ergo intendere ultimo bonum suum, nempe suam gloriam: quia nullum potest concipi bonum majoris momenti, quod possit ab eo intendi vel appeti. Nam omnis gloria Dei, quatenus est bonum Dei, infinite pluris aestimanda est, quam omne bonum creaturae, quatenus est bonum creaturae.

Porro duplex est finis; nempe *finis - qui*, *et finis - cui*. *Finis - qui* dicitur bonum illud, quod appetitur, et ad quod obtinendum laboratur.

Finis - cui est persona, cui illud bonum appetitur.

Deus itaque est ultimus *finis cui*, respectu rerum omnium; quia est cujus gratia et ad cujus gloriam condita sunt omnia. Ipse propter gloriam suam vult et operatur omnia, et permittit omnia, quae permittuntur. Unde Proverb. 16: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.* Qui enim semetipsum impium fecit, eum Dominus suppliciis aeternis ad laudem justitiae suae destinat.

2. Peculiari modo est *ultimus finis - qui*, et *ultimus finis - cui*, respectu naturae rationalis. Est *ultimus finis - qui* istius naturae; quia haec sola est illius capax, et sola est condita ut illo fruatur, tamquam summo bono suo, cum nihil sit praestantius, quod sibi possit appetere. Unde debet illum desiderare, et omnibus modis quaerere, tamquam summum bonum suum; idque in suum commodum, ut illo fruatur, et dulcedine ejus delectetur.

Est etiam *ultimus finis - cui*, respectu ejusdem naturae; quia omnes beati omnem suam beatitudinem, omniaque sua bona debent referre, et reipsa semper referunt ad ipsius gloriam: ita ut suam beatitudinem, suam gloriam,

et omnia bona pluris aestiment, et magis ament, ut sunt bona Dei, quibus Deus glorificatur, laudatur, benedicitur; quam ut sunt bona ipsorum propria, quibus ipsi perficiuntur, beantur et glorificantur. Unde beati dupliciter gaudent de gloria, et bonis suis. 1. Quatenus considerant illa, ut bonum proprium, adferens illis summam excellentiam, summum gaudium, et summam suavitatem, qualem nulla alia perfectio intrinseca adferre potest.

2. Quatenus considerant illa ut bonum Dei, ad aeternam ejus gloriam, et laudem pertinens. Et hoc gaudium est praecipuum quod habent de sua beatitudine et donis gloriae. Illa enim beatitudo non solum est ipsorum summa perfectio, et excellentia, et gloria objectiva; sed etiam est gloria Dei formalis. Nosse enim, amare et frui Deo, est formalis gloria ipsius extrinseca, qua nulla potest cogitari major: et est intrinseca Sanctorum gloria, et beatitudo. Hinc fit ut longe pluris faciant suam beatitudinem intrinsecam, ut est bonum et gloria Dei, quam ut est bonum proprium.

Denique dicitur Deus *ultimus finis* creaturae rationalis; quia omnes Angeli, et homines beati in omnem aeternitatem ita in illius visione, amore, et fruitione conquiescunt, ut nihil ulte-

rius desiderare possint, sed omnium desideriorum suorum terminum, et quietem beatissimam in illo habeant, et possideant.

PRECATIO.

Ad Deum, qui est ultimus finis omnium.

Ex lib. 14. *de Perfect.* cap. 6.

Filii *hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Vanitas sunt omnia ista quae tanto studio sectamini, honores, divitiae, voluptates; quorum causa omnes animae opes, quibus solida et aeterna poteratis comparare, frustra expenditis. *Vanitas vanitatum et omnia vanitas*, dixit Ecclesiastes, ista omnia expertus, et alta mente contemplatus. Merito *vanitas*; quia ad finem, ad quem conditi sumus, nihil prosunt, sed plerumque etiam plurimum obsunt. *Mendacia* sunt omnia ista, promittentia felicitatem, et adferentia miseriam. Vere *filii hominum*, non filii Dei, qui ista quaerunt, mente caeca, cupiditate inconsulta, labore inutili et pernicioso. Non ad ista creati sumus, et in hoc mundo constituti; non in illis situm bonum nostrum, et requies nostra: terrena sunt et temporanea; non possunt animum, cujus natura coelestis et aeterna,

cujus capacitas immensa, cujus dignitas super Angelis, perficere vel satiare. Quod ergo est verum bonum nostrum? *Quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti laetitiam in corde meo.* Solum lumen fidei hoc bonum nobis ostendere potest, et viam qua ad illud pervenitur: cujus rei cognitio incredibilem animo laetitiam adfert. Quid enim optabilius quam nosse summum bonum finemque ultimum, et tenere viam certissimam qua ad illud pervenitur? sine hac notitia, omnis alia sapientia inutilis, nec sapientiae nomine digna.

Hac omnes illi antiqui philosophi destituti fuere, et ideo evanuerunt in cogitationibus suis, nihil commodi ex omnibus suis studiis et laboribus reportantes. *Quis enim novit sensum Domini, nisi spiritus Domini, qui scrutatur profunda Dei*, per quae nobis hoc abditum Dei consilium est revelatum? *Benedicant te*, Domine, *coeli, terra, mare, et omnia quae in eis sunt: laudent et superexaltent* te *in saecula:* quia ante omnia saecula tibi cura fuit de nobis, et in primo Trinitatis tuae consistorio benignissimum de nobis consilium cepisti, ut nos divinitatis tuae, omniumque bonorum et gaudiorum tuorum faceres participes. Quis non

obstupescat ad tantam benignitatem et dulcedinem? quis hoc unquam sperare vel divinare potuisset? Sed ita placuit infinitae illi bonitati, cujus indoles est, ineffabilibus modis se diffundere et communicare. Solus bonis tuis in tua aeternitate fruebaris, nullius egens, ipse tibi, qui bonum es infinitum, ad omnem beatitudinem sufficientissimus. Neque tibi voluptas dulcissima societatis et amicitiae in personarum Trinitate deerat, cum inter Patrem, Filium, et Spiritum sanctum summa sit societas, summa amicitia, summa omnium bonorum gaudiorum, et consiliorum communicatio. Itaque non egebas creaturae consortio, nec aliquid tibi commodi per eam accedere poterat: nihilominus bonitatis tuae indulgens propensioni, nos condere voluisti, ut ad consortium bonorum ac gaudiorum tuorum eveheres.

Cum ergo placuerit infinitae majestati tuae ad tam nobilem finem nos creare fac ut dirigantur viae nostrae ad custodiendas justificationes tuas. Fac potentiam in brachio tuo, ne praevaleat homo; ne evertat perversitas nostra, quod optavit bonitas tua; ne insaniae nostrae falsae seducant nos a viis rectis, et illo termino, ad quem sapientia tua conditi sumus. Amen.

CONSIDERATIO II.

De Deo sanctificatore.

Sanctificator dicitur 1. quia omnis sanctitas hominum et Angelorum ab ipso est; et ipse per communionem suae sanctitatis, omnes istos sibi assimilat, et deiformes efficit.

2. Quia ipse solus injurias in suam infinitam majestatem commissas condonare potest, et labes animarum abstergere, ipsasque animas purgare, et sanctificare; ipse solus potest eas illuminare cognitione supernaturali, et charitatem supernaturalem infundere; ipse solus potest Spiritum sanctum una cum dono charitatis mentibus, ad eas sanctificandas, inserere. Datur autem Spiritus sanctus una cum dono charitatis, ut sua praesentia animas sanctificet, sua potentia protegat, illuminet, regat, et ad omne bonum excitet; et ut ipse per se sit nostra possessio, qua in aeternum fruemur, et beati erimus.

3. Quia ipse solus omnes jam inchoate sanctificatos, ad supremam et completam sanctitatem evehet, infundendo lumen gloriae, quo omnes illum altissimo modo cognoscant, et altissimo modo ament. Nam altissima sanctitas

intrinseca, seu realis, consistit in altissima Dei cognitione, et fruitione.

PRECATIO.

Ad Deum sanctificatorem.

Ex lib. 8. *de Perfect.* cap. 4.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus. Ita clamant Seraphim in visione illa mystica, qua gloriae tuae specimen et terribile judicium Judaicae excaecationis, Isaiae Prophetae ostendisti. Impleta enim populi illius peccatorum mensura, cum te in carne venientem repudiarunt, sanctitatem tuam trina compellatione, magno Trinitatis mysterio ad vindictam provocant. *Mundi enim sunt oculi tui, ne videas malum, et ad iniquitatem respicere non poteris.* Cum enim sis ipsa sanctitas, summe tibi displicet omne peccatum; ideoque *perdes omnes, qui operantur iniquitatem.* Nam sicut luci adversantur tenebrae, pulchritudini deformitas, et puritati contaminatio, et vitae mors, et rectitudini obliquitas, et bonitati malitia; ita sanctitati repugnat et exosum est omne peccatum.

Unde sicut necessario sanctitatem tuam summe amas, ita necessario peccatum summe

odisti, et infinita poena vindicas, nisi misericordia tua infinita praevenerit, et spiritu contritionis afflato poenitenti condonaverit.

Immitte spiritum hunc, o sanctificator meus, et robora me virtute ex alto: perfice me in interiori homine, et spiritu principali confirma me, ut omnem sanctitatem amem, et omnem iniquitatem odio habeam. Amen.

CONSIDERATIO III.

De Deo redemptore.

Redemptor dicitur 1. Quia cum omnes essemus perditi, Satanae servi effecti, et aeternae damnationis rei, ipse solus misertus nostri, nos redemit; ex servis diaboli, filios Dei effecit; et ex reatu damnationis aeternae, ad jus coelestis haereditatis transtulit; idque non facili modo, non paucis verbis, sicut creavit mundum; sed infinitis expensis et laboribus; atque adeo sui sanguinis, suaeque vitae pretio, una cum immensis doloribus et afflictionibus impenso.

2. Quia non simpliciter nos redemit, sed copiosissime, et modo praestantissimo; solvendo pretium infinitum, et constituendo nobis ex suis meritis fontem perennem et inexhau-

stum reconciliationis: ita ut non semel tantum possimus reconciliari Deo, et satisfacere divinae justitiae, sed decies, centies, millies, quotiescunque peccare contigerit. Parum enim fuisset in tanta naturae nostrae fragilitate, semel tantum posse Deo reconciliari. Unde benignissime constituit, ut semper per veram poenitentiam reconciliari possimus. Talis redemptionis nullum apud homines, vel principes exstat exemplum. Sanguis ipsius sufficiens est pretium apud justitiam divinam pro infinitis reconciliationibus infinitorum mundorum, et infinitorum peccatorum, quantumvis enormium. Itaque titulus redemptoris convenit Christo in ea excellentia, in qua nulli purae creaturae est communicabilis.

PRECATIO.

Ad Deum Patrem et Filium, expendens beneficium redemptionis.

Ex disput. *de Praedest. Christi,* sect. 4.

Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, quas tibi referemus gratiarum actiones, et quibus obsequiis infinitae charitati et misericordiae tuae respondebimus? Sic enim, cum adhuc inimici et perditi essemus, nos di-

lexisti, ut Filium tuum unigenitum carnem nostram assumere, et fratrem nostrum fieri volueris; ut in ea nobiscum versans, tenebras nostras discureret, viam salutis ostenderet, omnium virtutum exempla praeberet, divinae justitiae pro nobis satisfaceret, sanguine suo nos ablueret, et suo spiritu nobis communicato, filios tuos et haeredes regni tui, suosque cohaeredes efficeret. Magnum pietatis Sacramentum, quod in carne apparere fecisti! Admirabile opus misericordiae, quod nostra causa perpetrasti! Tantane res erat salus nostra, ut eam tanti aestimares, et perditam tandis impendiis farcires? tam pretiosae in oculis tuis erant animae nostrae, ut eis redimendis tantum destinares pretium?

Peccarunt Angeli, et subito fulmine sententiae tuae icti e coelo in tartara ad exitium et supplicium aeternum sunt praecipitati. Peccavimus homines, et non solum nos sustines, ira et vindicta cohibita, sed etiam immenso beneficio, quale nec pro infinitis benefactis exspectari potuisset, nos afficis, dato nobis Unigenito tuo per incarnationis mysterium, qui peccata nostra suo sanguine deleret, et nos omni benedictione coelesti cumularet. Et tamen quantum inter nos et illos interest? quanto inter-

vallo nobis illi antecellunt puritate substantiae, ingenio, viribus, pulchritudine, et omnibus naturae dotibus? Sed his omnibus contemptis, peccantibus non pepercisti: nostri vero, quibus viles animae, terrenis affixae, coelestium inanes, tenebris obsitae, multiplici pravitate imbutae, misertus es, et ruentes in perniciem apprehendisti, revocasti, et ad bonorum tuorum consortium adduxisti. Hanc unicam ob causam Filium tuum carnem sumere, et crucem subire voluisti; ob hanc causam ipse frater noster fieri voluit, et nobiscum carnis et sanguinis esse particeps, et per omnia nobis assimilari, peccato excepto. Ut enim nos reconciliaret, Pontifex noster fieri debuit, cujus officium est offerre hostias et sacrificia pro peccato: ut autem Pontifex fieret, naturae nostrae debuit esse particeps. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum*; nimirum ut suis precibus et sacrificiis eos Deo reconciliet, et divinam voluntatem eis renuntiet.

Gratias tibi, magne Jesu, Sacerdos magne, Princeps sacrorum, quod sordidam carnis nostrae vestem, in qua durum illud Pontificatus munus, sacrificando corpus et sanguinem tuum, in ara crucis obires, induere sis dignatus: sor-

didam, inquam, non tuis sed nostris peccatis, tibi a Patre impositis. Nihil erat in ea cur eam appeteres, cum nihil sit aliud quam pulvis terrae maceratus aqua: sed nostra necessitas te ad hoc adduxit; amor nostri te ad hanc majestatis tuae inclinationem compulit: nimirum ut in ea et per eam nobis succurreres, et nobis habitu naturae associatus, Pontifex et hostia fieres. Tibi Pater omnia dedit in manus, et totius coeli et terrae tradidit imperium: tibi summa potestas vitae et mortis, salutis et interitus, coelorum et inferorum, et utriusque regni claves tenes: aperis, et nemo claudit; claudis, et nemo aperit.

Aperi mihi januam istam, Domine Redemptor meus, quam peccatum Adae tot annorum millibus occlusam tenuit, quam clavi crucis reserasti; ne pereat Domine, anima ista, ne pereat, quam spretis Angelis adamasti; quam profugam ad ovile reduxisti; quam pretio sanguinis coëmisti. Amen.

Horologium passionis dominicae,

auctum et recitari solitum a R. P. Leonardo Lessio.

Ad matutinum.

Salve hora sacra, in qua, Domine Jesu Christe,
Fuisti in oratione prostratus,
In Patris voluntatem resignatus,
Immenso peccatorum nostrorum pondere aggravatus,
Ineffabili tristitia usque ad mortem afflictus,
Omnia futura tormenta in spiritu perpessus,
In agonia sanguineo sudore perfusus,
Ab Angelo confortatus,
Hostibus obviam progressus,
Osculo a Juda traditus,
A ministris ligatus,
A discipulis derelictus,
Annae et Caiphae praesentatus,
Alapa a ministro percussus,
Falsis testibus accusatus,
Reus mortis judicatus,
In faciem consputus,
Oculis velatus,
Colaphis, et alapis caesus,
Corpus percutientibus, et genas vellentibus expositus,

Multis contumeliis, et blasphemiis affectus,
A Petro ter negatus,

Domine Jesu Christe,
Has omnes afflictiones tibi offero.
Pro his gratias ago, te laudo, et benedico.
Per has omnes rogo, miserere mei.

Ad primam.

Salve hora sacra, in qua, Domine Jesu Christe,
Fuisti a consilio mane condemnatus,
Vinctus Pilato traditus,
A Judaeis accusatus,
Ad omnes eorum accusationes miro silentio usus,
Ad Herodem ablegatus,
Ab Herode multa curiose interrogatus,
Ab Herode, et ejus exercitu spretus, et illusus,
Veste alba indutus,
Ad Pilatum remissus.

Domine Jesu Christe,
Has omnes afflictiones tibi offero.
Pro his gratias ago, te laudo et benedico.
Per has omnes rogo, miserere mei.

Ad tertiam.

Salve hora sacra, in qua, Domine Jesu Christe,
Fuisti ad flagella condemnatus,
Vestibus spoliatus,

Nudus ad columnam alligatus,
Flagellis durissime caesus,
Propter scelera nostra attritus,
Doloribus acerbissimis cruciatus,
Toto corpore sanguine perfusus,
Tamquam vile mancipium tractatus,
Vestes induere permissus,
Iterum vestibus spoliatus,
Chlamyde coccinea indutus,
Spinis coronatus,
Arundine tamquam sceptro insignitus,
Rex Judaeorum amaro ludibrio salutatus,
In faciem consputus,
Alapis caesus,
Arundine caput percussus,
Doloribus, et opprobriis satiatus,
Hoc schemate foras eductus,
Populo spectandus exhibitus,
Tamquam leprosus et percussus a Deo aestimatus,
Magnis clamoribus ad crucem postulatus,
Barabbae postpositus,
Morte acerbissima, et ignominiosissima condemnatus,
Voluntati Judaeorum traditus,
Crucis pondere gravatus,
Tamquam ovis ad occisionem ductus.

Domine Jesu Christe,

Has omnes afflictiones tibi offero.
Pro his gratias ago, te laudo et benedico.
Per has omnes rogo, miserere mei.

Ad sextam.

Salve hora sacra, in qua, Domine Jesu Christe,
Fuisti tertio vestibus exutus,
Nudus super crucem extensus,
Clavis per manus et pedes cruci affixus,
Propter iniquitates nostras vulneratus,
Toto corpore crudeliter distractus,
Doloribus acerbissimis cruciatus,
Per crucem in altum levatus,
Angelis, et hominibus mirabile spectaculum factus,
Quatuor rivis ubertim sanguine manans,
Ad excipiendos peccatores brachia extendens.

Domine Jesu Christe,

Has omnes afflictiones tibi offero.
Pro his gratias ago, te laudo, et benedico.
Per has omnes rogo, miserere mei.

Ad nonam.

Salvè hora sacra, in qua, Domine Jesu Christe,
Fuisti inter duos latrones crucifixus,

Cum iniquis reputatus,
Opprobrium hominum factus,
A praetereuntibus blasphematus,
A Judaeis derisus,
A militibus in cruce illusus,
A latrone convicio lacessitus,
Opprobriis saturatus,
In tantis doloribus et contumeliis pro inimicis Patrem deprecatus,
Latroni poenitenti Paradisum pollicitus,
Qui Joannem Matri tuae in filium tradidisti,
Te a Patre derelictum attestatus,
Felle et aceto in siti potatus,
Consummata omnia de te scripta testatus,
Cujus spiritus in manus Patris commendatus,
A Patre pro tua reverentia semper exauditus,
Usque ad mortem crucis obediens factus,
Lancea transfixus,
De cujus latere exivit sanguis et aqua.
Cujus livore sanati sumus,
Propitiatio nobis factus.

Domine Jesu Christe,

Has omnes afflictiones tibi offero.
Pro his gratias ago, te laudo et benedico.
Per has omnes rogo, miserere mei.

Ad vesperas.

Salve hora sacra, in qua, Domine Jesu Christe,
De cruce es depositus,
In sinu Matris receptus,
Multis lacrymis defletus,
Maria cum amicis angustiata.

Domine Jesu Christe,

Has omnes afflictiones tibi offero.
Pro his gratias ago, te laudo, et benedico.
Per has omnes rogo, miserere mei.

Ad completorium.

Salve hora sacra, in qua, Domine Jesu Christe,
Sindone es involutus,
Ad sepulchrum delatus,
Sepultus,
Maria cum amicis luget,
Resurrectio expectatur.

Domine Jesu Christe,

Has omnes afflictiones tibi offero.
Pro his gratias ago, te laudo et benedico.
Per has omnes rogo, miserere mei.

ALIA PRECATIO.

Ad eundem, per Sacramenta, velut causam instrumentalem, nostrae salutis auctorem.

Ex lib. 8. *de Perfect.* cap. 4.

O sapientia infinita, juncta bonitati infinitae! quia rudes sumus, sensibus dediti, sensibilibus immersi, ruditati nostrae te accommoda, per sensibilia nos sanctificans, et contactu corporeo spiritum tuum et spiritalia dona infundens. Stupendum prorsus consilium sapientiae aeternae, signorum sensibilium contactu, vel usu, nos ex filiis irae effici filios Dei, haeredes vitae aeternae, consortes divinae gloriae: qui ante eramus omni confusione et morte aeterna digni! Mira benignitas et dignatio, rem adeo excelsam et divinam (per quam Deo similes efficimur, sine qua ei placere non possumus) conferri modo tam humili, per instrumenta tam vilia, nullo vel modico nostro labore aut conatu! Vere saeculum aureum, et saeculum gratiae est tempus istud novi Testamenti, quo tantae divitiae coelestes, tanta bonorum divinorum copia cernitur in terris, tantaque facilitate comparatur. Vere nunc melliflui facti sunt coeli, et montes stillant dulcedinem, et

flumina vino et lacte redundant, et bonorum coelestium apothecae expositae sunt inter mortales, ex quibus brevi tempore, facili negotio, in omnem aeternitatem divites et pares Angelis effici possumus.

Tibi gloria, tibi benedictio et gratiarum actio ab omni creatura in coelo et in terra, o sanctitatis auctor! tuum hoc est beneficium, tua philanthropia. Tu nobis Sanctum sanctorum dedisti, et in ipso fontem nobis perennem sanctificationis constituisti, *in ablutionem peccatoris et menstruatae.* Hunc tu per teipsum, tuam sanctitatem illi impertiendo, sanctificasti, et per hunc ceteros. Ab hoc sanctitas omnis manat in symbola externa seu Sacramenta; a symbolis per corpus transfunditur in animam; ab anima redundat in corpus, et in opera interna; ab operibus internis ad externa: ut sic totus homo, totaque vita ipsius sancta, tibi devota et consecrata sit, et a te summum bonum et ultimum finem, unde processit reducatur, et in te quiescat. Sic creaturam tuam ad te revocas, sic consortio tuo dignam facis. Fac ut ex hoc fonte assidue hauriam, assidue laver, ut dealbem stolam meam in sanguine Agni. *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Asperge me hys-*

sopo in fonte isto intincto in sanguine mystici passerculi, *et mundabor;* inde me lava, *et super nivem dealbabor.*

CONSIDERATIO IV.

De justitia Dei.

Justus dicitur, 1. ut fons, et causa omnis justitiae; quia omnis justitia, rectitudo, et sanctitas Angelorum et hominum ab ipso est, tamquam tenuis adumbratio justitiae illius infinite perfectae, et infinite supra omnem justitiam creatam elevatae.

2. Formaliter, quia cum suprema justitia consistat in amore Dei, (per hunc enim efficimur supremo modo conformes legi aeternae) et ipse plenissimus, et sublimissimus amor sui; necesse est ipsum esse formalem justitiam sublimissimam, et plenissimam, infinite perfectam et infinite supra omnem Beatorum justitiam elevatam.

3. Dicitur *justus* objective; quia ipse est objectum, et regula omnis justitiae et rectitudinis. Ipsum enim amare, suprema justitia est. Nec obstat quod reddere unicuique quod suum est, justitia vocetur; quia haec est justitia humana et politica, quae infima est. Nos autem

hic de suprema justitia loquimur, per quam homo absolute *justus* dicitur coram Deo, et qua etiam Deus *justus* dicitur, quae consistit in amore Dei et conformitate suprema cum lege aeterna: in qua justitia illa humana eminenter continetur.

4. *Justus* dicitur, ut legislator et judex: quia summe amat justitiam, et infinite odit injustitiam, id est, opera mala divinae legi ac majestati repugnantia, eamque sub aeterna poena vetat.

Denique ordinem justitiae a daemonibus et hominibus discursu totius hujus saeculi violatum restituet, et instaurabit; unicuique secundum opera et merita sua reddendo.

PRECATIO.

Ad justitiam Dei.

Ex lib. 8. *de Perfect.* cap. 4.

Tu omnis sanctitatis auctor, et finis, et regula, et exemplar, a quo, ad quem, et ad cujus formam ac similitudinem sanctificantur omnia in coelo et in terra. Totus iste mundus est veluti templum divinitatis tuae, tuo cultui consecratum, tua praesentia sanctum, tua gloria plenum, tuis admirandis operibus

exornatum, ut ibi te colamus, laudemus, et benedicamus in hac vita et in futura.

Sed sublimior est sanctitas naturae rationalis, sicut et illustrior est praesentia tua in spiritibus quam in corporibus; et excellentius ad te accedere et tibi conjungi possunt. Nosse enim et amare te, sanctitas est spirituum. Per haec tu in illis habitas, et illi templum tuum fiunt, multo felicius et augustius quam vasta haec mundi machina, quae tuam praesentiam sentire non potest. Per eadem ad te accedunt, tibique uniuntur vitali vinculo, et in tuam puritatem facessunt: cognoscens enim transit in cognitum, et amans in amatum. Quare cum sis purissimus actus, et in supremo gradu spiritalis tenuitatis, ut ita dicam, et puritatis, infinite elevatus supra materiam et corporalia omnia, infinite simplex, infinite subtilis et spiritalis; necesse quoque est ea quae ad te elevantur tibique uniuntur, et unus tecum efficiuntur spiritus, simpliciora, puriora, magisque spiritalia effici, et ab omni contagione inferiorum remotiora. Hoc autem est illa sanctitas, qua omnes rationales animae et spiritus Angelici praediti esse debent, ut tibi perfecte placeant.

Sed adhuc altior est sanctificationis gradus, cum nimirum per teipsum absque ullo dono

creato sanctificas creaturam, eam supra omnia creata ad te attrahens, et substantialiter tibi in unitatem hypostasis adstringens. Sic beatissimam Domini nostri humanitatem sanctificasti, ut sicut in illa est plenitudo divinitatis, ita sit et sanctitatis.

O admirabilem et omni menti creatae incomprehensibilem sanctificationem! o infinitam divinae bonitatis dignationem, quae talem expiationis et sanctificationis fontem humano generi constituit! Ab hujus plenitudine omnes accepimus; et quod superest, adhuc mille mundorum peccatis abluendis, et infinitis animabus sanctificandis sufficit. Sic per unum hominem sanctificantur omnes homines, et ad Deum reducuntur, sicut per unum a Deo sunt aversi, et a peccato inquinati.

Quis mihi dabit justitiam ac sanctitatem ardenter sitienti, ut bibam de cisterna ista Bethleem, et puteo aquarum viventium? Domine, da mihi hanc aquam, qui dixisti: Sitientes venite ad aquam. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum meum, et justitiam ejus: Domine, satia hanc sitim meam. Amen.

DE SPECIALI INCREMENTO

VIRTUTUM THEOLOGICARUM.

Documentum.

Quoniam Tridentinum (Sess. 6 cap. 10.) *agens de justificationis augmento docet,* euntes de virtute in virtutem renovari, *juxta Apostolum, merito quaerimus quaenam sint illae virtutes? Easdem ibidem suggerit, dum paulo inferius subdit:* Hoc vero justitiae incrementum petit S. Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei, et charitatis augmentum. *Itaque ad augendam fidem, subsidio erit consideratio* de veritate, et fidelitate Dei. *Item* de Deo illuminatore et luce.

Ad confirmandam spem conducet consideratio de omnipotentia Dei. *Item* de Deo, ut est refugium nostrum. *Ad inflammandam charitatem apta consideratio* de benignitate Dei. *Item* de Deo, ut est Pater noster.

CONSIDERATIO I.

De veritate et fidelitate Dei.

Quatuor modis Deus dicitur *verus, veritas, et prima veritas,* 1. *in essendo*, seu *objective.* Quia est primum objectum intelligibile, in quo

omne objectum intelligibile et omnis veritas objectiva eminenter continetur; et a quo omnis res accepit veritatem sui esse, et ut secundum suam speciem et omnes gradus essentiae vera sit, et vere talis dicatur: ut, quod hoc sit verus homo, illud verus leo, verus bos, verum aurum; et sic de caeteris: sic omnium rerum veritas a prima veritate, quae est veritas divinae essentiae, descendit. Porro veritas objectiva rerum praesertim actu existentium, consistit in eo, quod natura cujusque sit conformis ideae et conceptui divino, secundum quem, et per quem facta est. Si vero res considerentur secundum esse possibile, vel prout abstrahunt ab esse actu, et non esse actu; sic earum veritas consistit in conformitate cum essentia divina, quatenus ipsa tali vel tali modo est imitabilis, seu participabilis. Hinc enim, veluti ab originali omnium idea, oritur ratio omnium possibilium, ut alibi ostensum est.

2. Dicitur *prima veritas in cognoscendo. Veritas* quidem, quia est sui ipsius et omnium rerum existentium, ac possibilium verissima, certissima, lucidissima, et eminentissima cognitio et conceptio. *Prima* vero, quia ab illo omnis vera cognitio descendit tam in Angelis et hominibus, quam in animalibus, in quibus

ultima seu infima participatio cognitionis cernitur. Deus enim per suam cognitionem et sapientiam formavit omnem vim cognoscendi, omnesque ejus gradus in rebus creatis; eisque, ut verae cognitionis aliquo modo sint participes, cooperatur.

3. Dicitur *prima veritas et veracitas in dicendo*, seu testificando. *Veritas* quidem, quia sicut ipse est sua cognitio, suus amor, sua charitas, ita etiam est sua *veritas*. Et ipsa veracitas, quae in hominibus et Angelis est virtus inclinans voluntatem ut semper velit dicere verum, et abhorreat ab omni mendacio, in Deo est *ipsa voluntas vel essentia divina*, quatenus natura sua ad veritatem dicendam infinite inclinat, et infinite ab omni mendacio abhorret. Unde implicat contradictionem, Deum posse mentiri, aut falsum dicere.

Prima vero et *summa veritas*, seu *veracitas* dicitur, quia virtus veracitatis in Angelis et hominibus ab ipso est, tamquam tenuis quaedam participatio infinitae illius veritatis. Unde ipsius veracitas est prima et summa regula credendi, in quam ultimo nostra fides resolvitur. Ideo enim credimus Ecclesiae, quia gubernatur, et docetur a Spiritu sancto, seu a Deo: ideo vero credimus Deo, quia est prima

veritas. Primae veritati non credimus ob aliam aliquam rationem, sed propter seipsam; ipsi enim per se infinita fides debetur.

Hoc autem attributum supponit duo alia, quibus quodammodo nititur; nempe infinitam bonitatem, et infinitam sapientiam. Ratione bonitatis fit, ut Deus non possit quemquam fallere, falsum ei dicendo: ratione sapientiae, ut ipse non possit falli.

4. Dicitur *veritas in servandis promissis*, quae nihil est aliud quam fidelitas. Est autem *fidelitas* virtus in Angelis et hominibus inclinans ad servanda promissa intuitu obligationis, quam promissio inducit: in Deo est ipsa essentia, aut voluntas considerata, ut suo modo ad hoc inclinat. Unde sicut Deus est sua essentia, suus amor, sua cognitio, ita quoque est sua fidelitas, et infinita propensio ad praestandum quidquid promisit. Et quia per Christum omnia praestat, quae ipse promisit generi humano, etiam Christus saepe *veritas* in Scripturis dicitur: sicut etiam vocatur *misericordia*, quia per ipsum Deus omnem *misericordiam* seu misericordiae effectum praestitit hominibus.

Dicitur autem *prima veritas* secundum hanc acceptionem; quia ab ipso omnis fidelitas in

Angelis et hominibus descendit tamquam participatio quaedam illius infinitae fidelitatis.

PRECATIO.

Ad veritatem et fidelitatem Dei.

Ex disput. *de Praedest.* sect. 7.

Credo Ecclesiae tuae, Deus meus, quia lingua tua, et os tuum est: credo tibi, quia prima veritas es: credo primae veritati propter semetipsam. Da fidei huic firmae firmius incrementum, o bonitas, quae nequis fallere, o sapientia, quae falli non potes. Neque tantum prima veritas es, Deus meus; sed summa fidelitas. Plane fidelis Deus, qui non patieris nos tentari ultra quam possumus, et facientibus quod in nobis est, numquam deeris.

Si ergo perierimus, non tuis decretis, non auxiliorum inopiae, non incongruis gratiis, sed nostrae socordiae assignare debemus. Omnibus enim fidelibus, et maxime justificatis, auxilium tuum, quod ad orationem est necessarium, semper adest per fidei et spei donum; sicque omni tempore ad te per orationem confugere possunt. Hujus autem interventu in omni eventu auxilium necessarium et sufficiens ad caetera omnia, ad vincendas tentationes, ad implenda mandata, et ad perseverandum in ju-

stitia certissime obtinebunt; quo auxilio obtento, solum superest ut illo utantur, eique sicut par est, et facile possunt, cooperentur. *Jugum enim* tuum *suave est, et onus leve;* et quae per se carni molesta sunt et difficilia, per gratiam tuam suavia sunt et expedita.

CONSIDERATIO II.

De Deo illuminatore et luce.

Illuminator dicitur, quia omne lumen corporale et spiritale ab ipso est: ipse hunc mundum corporeum, qui antea in tenebris erat, gratissima et copiosissima luce, qua omnia recreantur, perfudit. Ipse omnes spiritus luce cognitionis naturalis implevit.

2. Quia omnis doctrina supernaturalis, omnis cognitio et illustratio, qua vel Angeli, vel homines disponuntur et elevantur ad salutem, ex ipsius benignissima revelatione descendit. Ipse solus potuit nobis revelare consilium et decretum suum, quo ab aeterno statuit nos facere participes gloriae suae, et quibus viis ac mediis ad illam nobis esset perveniendum. Sine hac luce omnes essemus in tenebris, ignorantes et viam, et terminum.

3. Quia omnes in tenebris afflictionis et

moeroris constitutos, si ad ipsum confugiant, illuminat, eos coelestium bonorum cognitione consolando. Unde Psalm. 33: *Accedite ad eum, et illuminamini; et facies vestrae non confundentur.*

4. Quia lumen gloriae, quo mens nostra perfusa et illustrata, Deum clare in se ipso, sicuti est, et omnia creata in Deo, et sub Deo videbit, ab eo solo infunditur. Et hoc modo per lumen gloriae illuminabuntur omnia objective: quia omnia in luce clarissima cognitionis omnium Beatorum ponentur; perinde ac si ipsa lumine gloriae perfusa forent.

Lux dicitur, 1. tamquam fons omnis lucis corporalis et spiritalis, et omnis cognitionis. Omnis enim cognitio, lux est illuminans mentem, et objectum: mens enim illustratur, ut objectum recipiens cognitionis lucem; objectum vero, ut res quae menti per lucem manifestatur, cum antea illi esset tanquam obsita tenebris.

2. Quia ipse est sui ipsius et omnium intelligibilium seu illustrabilium lucidissima, certissima, et firmissima cognitio, absque ulla ignorantia, vel obscuritate; juxta illud: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.* Hinc totum regnum possibilium lucidissimum est, quia illustratur infinita luce cognitionis ipsius.

3. Ipse est lux *per excellentiam*, utpote infinite supra omnem lucem creatam et creabilem elevata; in qua omnis lux eminentissime continetur, et a qua omnis lux, ut tenuis participatio, descendit. Dicitur *lucem habitare inaccessibilem*, quia cognitione, amore, et fruitione habitat in se ipso, qui est lux inaccessibilis; cum nulla creatura viribus naturae possit illam, vel sola cognitione attingere.

PRECATIO I.

Ad Deum illuminatorem et lucem.

Ex lib. 6. *de Perfect.* cap. 6.

Illumina *oculos meos* lux primaeva; dissipa tenebras animae meae. Sol aeterne, *emitte lucem et veritatem tuam*, ut me deducant et adducant *in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.* Tu enim omnis lucis et intelligentiae origo, omnis mentis et sensus auctor. Sine tua irradiatione omnia in tenebris et nocte ignorantiae sepulta jacent: omnes artes et scientiae, tenues sunt obumbrationes tui: tota sapientia Angelorum, scintilla quaedam est exigua infinitae lucis tuae.

O particeps fiam luminis tui o sol supra mille soles lucidissime, o candor lucis aeternae! Emitte

coelitus lucis tuae radium, ut juxta beneplacitum tuum, et fidei lumen, sic ambulem in terris, ut tandem in coelis merear lumen gloriae. Amen.

PRECATIO II.

Ad eundem, ibidem.

Tibi gloria, plenitudo lucis, plenitudo veritatis: tibi gloria ab omni creatura, et supra omnem creaturam apud teipsam, ubi clara et consummata excellentiae divinae notitia. Splendet quidem excellentia tua in mentibus Angelorum et Sanctorum, estque hic splendor gloria quaedam tua; verum infinite clarius splendet in sapientia tua: sicut infinita lux clarius lucet quam scintilla modica. Ibi ergo sapientia laudet animam suam, ibi glorificet se, et omnis creatura congaudeat et congratuletur illi; laudet, benedicat, et glorificet illam! Non eges gloria et laude nostra. Infinitae claritati per scintillam nulla fit accessio. Sed haec prosunt nobis. Nosse enim et laudare te, summum bonum nostrum, et vita aeterna est. Tu quoque omni laude, quae a creatura tibi deferri possit, dignus es; et ipsa in omnem aeternitatem te laudare et benedicere tenetur.

CONSIDERATIO III.

De omnipotentia Dei.

Dicitur *potens et omnipotens* 1. ut causa, quia ab ipso est omnis potentia, omnis virtus, seu vis agendi et operandi, omnis vigor, et omnis efficacitas in omnibus rebus creatis, in terra, in mari, in astris, in lapidibus, metallis, plantis, animalibus et Angelis. Omnis vis operandi aliquid tenuis est participatio potentiae ipsius.

2. Formaliter, quia ipse in se est potentiae infinitae, vel potius ipsa potentia infinita per se subsistens. Potest enim omnia, quae potest mens creata concipere, quae prorsus in omni genere et specie sunt infinita: verbi gratia infinitos mundos huic nostro mundo similes, et alios huic dissimiles, et infinitos Angelos, infinitos populos, infinitum aurum, argentum, lapides pretiosos, etc.

Cum dicitur posse facere *infinita*, intellige *infinita syncategorematice*, ut loquuntur philosophi, non *categorematice;* id est, posse illum tot res cujusvis generis facere, ut semper possit plures, et plures sine fine: adeo ut nullus numerus tam magnus concipi queat a mente creata, quin tot et plures sine fine possit facere, sic

tamen ut nunquam faciat infinitum actu, juxta probabiliorem S. Thomae et multorum aliorum sententiam: quia repugnat creaturae esse infinitum actu, ut alibi declaratum est. Addo, Deum non solum posse omnia quae mens creata potest concipere, idque in quantavis magna multitudine, quantitate, et perfectione; sed etiam quidquid ipse sua infinita sapientia potest extra seu intra se concipere; quae infinities plura et magis mirabilia, quam ea quae possunt concipi a mente creata. Quidquid enim sua mente infinita potest interius concipere seu formare intelligendo, potest exterius producere et formare creando. Et hoc modo potentia adaequatur sapientiae.

3. Dicitur *omnipotens*, quia potest omnia facere repente, sine mora temporis, sine ullo labore, summa et infinita facilitate, solo nutu suae voluntatis, et solo verbo, longe facilius illi esset mille mundos novos excitare, quam nobis nomen *mundus* proferre; et tamen nobis nihil facilius verbo.

4. Dicitur *omnipotens*, vel potius *omnitenens*, quia omnia et singula interius continet, et constringit in unum, ne dissolvantur et diffluant; et omnia tamquam sedes ac fundamentum omnium excipit, sustentat et conservat. Ipse

enim est omnium radix, ex quo omnia veluti pullularunt; et omnium vinculum, quo singula in seipsis constringuntur, ne diffluant et evanescant; omnium sedes, ac fundamentum, omnia sustentans, ne in nihilum suum relabantur.

PRECATIO.

Ad omnipotentiam Dei.

Ex lib. 5. *de Perfect.* cap. 4.

O adorandam, tremendam, et religioso silentio venerandam omnipotentiam tuam, Domine rex saeculorum, qui omnia per te potes, quidquid possunt omnes creaturae tuae; a quo omnis potentia, omnis vis, omnis energia rerum omnium est instituta et dependens; qui omnia ex nihilo solo verbo condidisti, et condita eodem substantifico influxu conservas, ex omnipotentiae tuae manu ea veluti suspensa tenens, ne in suum nihilum relabantur; coram quo totus mundus est instar pilae modicae, et omnes gentes instar stillae roris antelucani. Qui reipsa potes efficere et praestare, non solum quidquid omnes homines et Angeli animo concipere, sed etiam quidquid sapientia tua infinita potest excogitare: par enim est potentia tua sapientiae tuae, et aeque late se exten-

dunt et diffundunt, cum haec sola sit illius regula et mensura; quam enim aliam habeat mensuram potestas immensa, nisi immensam? Hinc non minus ea tenes et possides quae non sunt actu in esse producta, quam quae esse et speciem exterius acceperunt. Delitescunt enim in thesauris potentiae et sapientiae tuae, et ad minimum nutum tuum in esse foras prosilient, et dicent: adsumus ad obsequium tuum. Non indiges laudibus et obsequiis nostris: si enim velis, infiniti tibi mox suppetent famuli, qui incomparabiliter te melius colant, et omni laude celebrent.

Ingredior, Domine, in has potentias tuas, ibique stupens et elinguis meipsum deperdo, ut silentium meum loquatur tibi, animique mei attoniti admiratio te laudet, et deinceps omnino confidat tam incredibili potestati.

CONSIDERATIO IV.

De Deo, ut est refugium nostrum.

Dicitur *refugium nostrum*, 1. quia in omnibus afflictionibus animi et corporis, in omnibus tentationibus, in omnibus periculis, in omnibus angustiis et necessitatibus, quando aliunde subsidium et opem non speramus, habemus refu-

gium ad ipsum, et possumus nos per orationem ad ipsum convertere, opem implorando; et ipse cum firma spe et fiducia ad se confugientes nunquam repellit, quantumvis illum offenderint, et multis gehennis digni sint: sed semper eos exaudit, praestando id quod ab ipso petunt, vel aliquid longe praestantius et utilius petentibus.

2. Quia ubi omnes aliae creaturae nos deserunt, vel opem ferre non possunt, ipse solus nunquam deserit, sed semper, et intra nos, et extra nos, et circum nos, undique et ex omni parte adest nobis, paratus juvare, consolari, et salvare. Unde merito cum Davide dicere possumus: *Deus refugium nostrum et virtus; adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis; propterea non timebimus, dum turbabitur terra et transferentur montes in cor maris.* Et: *Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo? Dominus protector vitae meae; a quo trepidabo.* Et infra: *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

3. Quia est singulare refugium omnium justorum, qui hujus saeculi pertaesi, ejusque fallacias, malignitatem et aerumnas fugientes, ad Deum tamquam fontem vitae, et omnium bono-

rum abyssum (in qua sola perfectam quietem obtinebunt) toto desiderio suspirant: ipse enim est ultimus finis, et extremus omnium desideriorum terminus, ad quem omnes toto mentis impetu confugere debent, ut beatissimam quietem assequantur.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est refugium nostrum.

Ex disput. *de Praedest.* sect. 7.

Dicam Domino: refugium meum es tu, Deus meus, sperabo in eum. Rogo, oro, supplico, obtestor, excipe me sub umbra alarum tuarum, et non timebo in die mala. Si Dominus mecum, quis contra me est? cur non sit mecum si velim, si orem ut mecum sit, et sollicite curem, ut mecum maneat donec moriar, et semper cum ipso sim?

Si ergo certo salvi esse volumus, si nostram electionem ratam certamque efficere, primo semper in preces piasque cogitationes simus intenti, assidue Dominum deprecantes, ut sua nos providentia custodiat, et ita regat, sicut novit expedire nostrae saluti. Fieri nequit, ut qui hoc continuo flagitat, non saluberrime ab ipso dirigatur. Hoc est quod maxime nos vult

petere, hoc saepius promisit se petentibus daturum. *Et ego*, inquit, *dico vobis: petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur.* Ecce quoties idem ingeminat, ut nullo modo dubitemus nos obtenturos. Deinde semper simus solliciti, ne unquam divinae gratiae desimus, ne eam in vacuum recipiamus, socordia nostra ei non cooperantes. Parum nobis proderunt divinae inspirationes et auxilia gratiae, si ad alia conversi sinamus illa effluere, si semen illud coeleste vel a volucribus coeli permittamus absumi, vel a spinis suffocari. Excitandus animus, ut attente consideret, quid Deus a nobis requirat, ad quid invitet, quid interius consilii inspiret. Hoc, abruptis omnibus saeculi vinculis, amplectamur; hoc persequamur, hoc firmiter usque in finem teneamus. Ita semper simus comparati et intenti, ac si quotidie suprema nobis instaret hora, et in omnibus eligamus et faciamus quod illo temporis articulo nos volemus fecisse. Haec si praestiterimus, sicut vere possumus et rei magnitudo meretur, certissime salvi erimus; et praedestinationem nostram divina benignitate inchoatam, divinae gratiae auxilio complebimus. Immensa plane

est haec Dei in nos benignitas, qua nobis sibi in filios adoptatis, potestatem fecit sui regni, tam suavi et potenti providentia nos gubernans, ut aeterna vita et gloria sit in manu nostra, et nulla creatura salutem nostram impedire possit, nisi ipsi velimus. *Certi enim sumus, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo* Jesu *Domino nostro.*

Tibi saeculorum regi immortali et invisibili, tibi misericordiarum patri, conditori, redemptori et salvatori nostro, tibi omnium bonorum nostrorum auctori, honor et gloria et benedictio et gratiarum actio ab omni creatura, in omnes generationes saeculi saeculorum. *Amen.*

CONSIDERATIO V.

De benignitate Dei.

Benignus dicitur Graece *chrestos*, quod noster interpres passim vertit *suavis* (ut Psalm. 33, 85, 108, 144, et alibi) 1. quia infinite propensus ad benefaciendum, et ad immensum ae-

ternumque bonum conferendum. Ex qua propensione motus est ad condendos Angelos et homines, et ad eos formandos ad imaginem et similitudinem suam, ut eos suae divinitatis suaeque gloriae faceret participes.

2. Quia cum perditi essemus per peccatum, non abjecit nos: sed benignissime nobiscum egit, mittendo ad nos Filium, qui assumpta nostra natura visibili nobiscum versaretur, et nos per eam revocaret a peccatis, doceret viam salutis, praeberet exempla bene vivendi, satisfaceret divinae justitiae pro nostris peccatis, sua passione et morte nos redimeret, suo sanguine nos ablueret, suo spiritu sanctificaret, et filios Dei constitueret, et insuper optimis ad salutem adminiculis sensibilibus et nostrae naturae accommodatis, instrueret.

3. Quia abiturus in coelum, seipsum totum nobis mirando modo reliquit in Sacramento Eucharistiae, ut sua praesentia semper nobis in hoc exilio esset solatio, ejusque oblatione Deum placaremus, et ejus sumptione divinitatis ipsius efficeremur participes.

4. Quia peccatores, etsi saepius relapsos, non solum sustinet patienter, non puniendo; sed et aversos revocat et invitat ad poenitentiam, semper paratus eos in gratiam reci-

pere, si velint redire; redeuntes non dure excipit, nec improperat pristinam ingratitudinem, sed benigne amplectitur tamquam charissimos filios, eosque in pristinum gradum filiorum restituit.

5. Quia nihil requirit a nobis quod vires nostras superet, sed omnia facilia, et etiam menti bene compositae jucunda. *Jugum enim ejus suave est, et onus leve.*

PRECATIO.

Ad benignitatem Dei.

Ex lib. 9. *de Perfect.* cap. 6.

Cum omnis gloriae et beatitudinis ex teipso superplenissimus sis, non potuit se continere benignitas tua, quin tantorum bonorum creaturam suam faceret participem. Hinc consilium condendi Angelos et homines, qui tantae rei essent capaces; et propter homines mundum universum, et opes ejus omnes. Quis unquam monarcha terrenus extremae sortis mancipia evexit ad communionem regni? Et tamen in his est naturae paritas, et solius fortunae rerumque externarum discrimen: nos vero non solum infinite a te distamus naturae conditione, sed etiam infimum gradum inter

creaturas intelligentes tenemus. Nihilominus prae caeteris omnibus nos dilexisti, et divitias bonitatis tuae copiosius in nos effudisti. Nimirum hoc est benignitatis ingenium, demittere se ad infima, curare infirma, colligere abjecta, attollere humilia, et ubi major est inopia, ibi magis suas opes erogare et opem ferre.

O quam profusa benignitate id praestitisti, o amor aeterne! praesertim in tempore mittendo Unigenitum tuum, qui morte sua nos redemit, et a morte continuo pascit corpore, et potat sanguine! Amem te, Deus meus; amem te, et sufficit.

CONSIDERATIO VI.

De Deo, ut est pater noster.

Dicitur *pater noster* 1. ratione naturae, quia nos ad imaginem et similitudinem suam formavit, et capaces suae divinitatis condidit. Hinc mens nostra per intellectum, memoriam et voluntatem habet immensam quandam amplitudinem et capacitatem, qua potest se ad infinita extendere, et infinita in se complecti: *infinita*, inquam; quia sine fine plura, et plura, deo ut capacitatis ipsius nullus sit terminus. 10 ita per lumen gloriae potest expandi, ut

ipsam Dei immensitatem intra se capiat. Hac ratione magnam habet cum Deo similitudinem tamquam filius vel filia cum parente. Accedit, quod sicut Deus potest infinita creare in esse naturae, ita mens potest infinita creare in esse intelligibili, infinitarum rerum conceptus in se formando, per quos res illae quoddam esse intelligibile et objectivum in mente accipiunt. Haec omnia ipsius immensitatem, et similitudinem cum Deo insinuant, ratione cujus merito Deus *pater noster* dici potest. Sic Deuteron. 32: *Numquid non ipse est pater tuus qui possedit te, et fecit, et creavit te?*

2. Dicitur *pater noster* in oratione Dominica, et passim in novo Testamento, ratione donorum gratiae; nempe fidei, spei, charitatis: per quae dona adhuc magis et sublimius ei assimilaremur; et maxime ratione spiritus divini, qui cum his donis communicatur, ut nos inhabitet, et sua praesentia sanctificet, protegat, gubernet, etc. Et hac ratione efficit nos filios adoptivos; nempe communicando nobis suam naturam et suum spiritum per donum gratiae, cui dono suum spiritum quasi annexuit, ut alibi fusius explicuimus. Filiatio enim oritur ex quadam naturae communicatione.

3. Dicitur *pater noster* ratione donorum glo-

riae, per quae perfectissime et altissimo modo ei assimilamur; adeo ut altior et major similitudo realis et intrinseca cum Deo esse nequeat. Per illa dona plane in nobis completur filiatio divina, quae per creationem fuit quasi inchoata in radice, per justificationem provecta in gradum altiorem et supernaturalem; tandem in glorificatione provehitur in statum altissimum et plane deiformem, et omnino completur. Hoc modo omnes Beati dicuntur filii Dei, et Deus dicitur *pater futuri saeculi.*

Denique dicitur *pater*, quia providentia paterna nos gubernat, et nobiscum agit, sicut princeps qui subditos suos, tamquam pater filios, tractat. *Pater patriae* vocatur Psalm. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Sap. 14. *Tua, pater, providentia gubernat* omnia.

PRECATIO.

Ad Deum creatorem et patrem rerum omnium.

Ex lib. 2. *de Immort. animorum*, cap. ult.

Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pen-

nas meas diluculo, et habitavero in intimis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Vae mortalium mentibus sua malitia obcaecatis! Vae cordibus insipientium, tenebris peccatorum obsitis! Coelum et terram imples, et tamen a plurimis non agnosceris: omnibus intime praesens ades, et ignoraris. Omnia creas, formas, nutris, perficis, sustentas, gubernas; et te horum omnium fontem et auctorem negant. Omnibus das esse, et te esse non credunt. Infinitis modis tuam potentiam, sapientiam, bonitatem misericordiam et justitiam prodis, omniumque oculis ingeris; et tamquam caeci non percipiunt. Omnis te natura rerum praedicat, et ad praedicationem tam illustrem obsurdescunt. *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Omnia clamant: *Ipse fecit nos et non ipsi nos*, nec fortuitus atomorum concursus. Ipse sua potentia nos e nihilo in hanc lucem eduxit: ipse sua sapientia formavit, et hanc speciem et pulchritudinem impressit: ipse sua bonitate conservat, sua providentia gubernat, et in suum finem dirigit singula. Clamor iste totius creaturae toto orbe personat ut neminem latere queat, nisi qui daemonio surdo obsessus tenetur.

Unde enim nisi ab omnipotentia et sapientia tua rapidissimae coelorum vertigines? Unde gratissima illa motuum harmonia, nunquam intercisa, nunquam vacillans, eodem semper tenore indeclinabiliter perseverans? Unde animantium structurae, et multiplices ac mirabiles formae? Unde innumerabiles illae et aptissimae partium tum inter se, tum ad totius corporis speciem, proportiones et symmetriae? Unde singularum partium infinite multiplex interna temperies, et externa conformatio, ad proprias cuique functiones congruentissima? Unde seminum stupenda vis, qua omnium corpora, et corporum particulae summa arte disponuntur, formantur, et suos in fines aptantur? Nihil horum a se esse potest, quia nec propter se: nihil sibi esse finis, unde nec principium. Sed neque a fortuna vel casu, in quibus nihil ratum et firmum, nihil ordinatum, et suis constans mensuris: sed omnia confusa, incerta, plena inordinationis.

Necesse est ergo haec omnia ab aliqua mente procedere, quae et sapientia sua tam mira et infinita potuit excogitare, et potentia exequi, et providentia gubernare. Hanc mentem te esse dicimus Deum ac Dominum nostrum. Tu ergo omnium origo, omnium causa effectrix,

omnium forma, omnium finis, omnium sustentaculum, firmamentum, conservatio. In te ab aeterno. praeexistunt omnia non confuse, sed ordinatissime, modo tamen simplicissimo, et in esse quodam purissimo: sicut opus artificis priusquam fiat exterius, latet interius per artem in mente architecti, illique soli est conspicuum.

Agnosco lubens volensque te summum esse rerum omnium parentem; sed inter omnia te benignissimum patrem meum. O amantissime pater, da mihi tenerrimum juxta ac fortissimum tui amorem, ut nunquam offendam te, sed usque ad extremum halitum amem. Amen.

DE SPECIALI INCREMENTO

VIRTUTUM CARDINALIUM.

Documentum.

Praeter virtutum theologicarum augmentum, ad virtutes cardinales sua fiat accessio oportet. Itaque ut crescat prudentia, *utilis erit consideratio de* Deo provisore, *Deique providentia; item de* sapientia Dei. *Ad stabiliendam* justitiam *congruit consideratio de* Deo, ut est zelotes. *Ad augmentum* temperantiae *proderit consideratio*

de Deo, ut est pax nostra. *Denique ad roborandam* fortitudinem, *quadrabit consideratio de* Deo, ut est fortitudo nostra. *Item de* Deo, ut est fundamentum nostrum.

CONSIDERATIO I.

De Deo provisore, Deique providentia.

Deus dicitur *provisor* et rerum omnium providentiam habens: 1. quia per ipsius providentiam omnia in suis speciebus, et naturis individuis, cum suis ornamentis, et proprietatibus, et functionibus existunt. Nihil enim est in tota rerum natura, cui ipse non dederit esse, speciem, formam, et pulchritudinem, ut decore in suo statu consistere queat, et cui ulterius non dederit propriam indolem, propensionem, vires et instrumenta congruentissima ad suas functiones; omnia enim *in mensura et numero et pondere disposuit:* ut manifestum est non solum in primariis mundi partibus, ut in coelis, in stellis, in sole et luna, in elementis; sed etiam in vilissimis vermiculis et eorum partibus, et in plantis et floribus, etc.

2. Quia nihil in tota rerum natura, totoque universo fieri potest, quod ipse antea in luce

infinita sapientiae suae exactissime non consideraverit, et quasi deliberarit, an conveniat illud velle ut fiat, aut saltem velle permittere, seu non impedire. Quae consideratio, et (ut sic dicam) deliberatio antecedit omne decretum tam permissivum, quam effectivum circa singula. Omnium enim eventuum causae e manu ipsius ita religatae tenentur, ut sine illius nutu nulla possit in ullum actum emicare. Unde nihil sine illius providentia fieri potest.

3. Quia etsi propter peccatum et arbitrii libertatem multam in rebus, praesertim humanis, videatur permittere *ataxiam;* nihil tamen permittit nisi summa ratione, et quasi praevia deliberatione. Deinde quidquid modo inordinatum videtur, ipse postea ad exactissimam justitiae aequalitatem, et pulcherrimum ordinem revocabit.

4. Quia omnis ordo, qui est vel in structura universi, vel in partibus animalium et plantarum, vel in operationibus rerum, vel mediis ad finem, vel in ulla re corporali aut spiritali, ab ipso est institutus ac dispositus.

PRECATIO I.

Ad providentiam divinam.

Ex lib. 1. *de Perfect.* cap. 10.

Tua, pater, providentia gubernat omnia, *pertingens a fine ad finem,* ab extremis coelorum ad ima terrarum; a supremo spiritu ad infimum vermiculum, *fortiter et disponens omnia suaviter.* Fortissimus est ejus attactus, quo creantur et sustentantur omnia: suavissima dispositio, qua singula pro naturae conditione suis locis et ordinibus collocantur, suos in fines diriguntur, suosque motus agere sinuntur. Non fortuito atomorum concursu, aut elementorum acri conflictu, aut sponte sua mundus iste coaluit, vel emicuit in lucem; sed providentiae tuae consilio et vi. Quomodo enim res tanti ingenii et artificii, in qua omnia summa ratione et proportione summa pulchritudine, symmetria et eutaxia constant, sine ratione et sapientia fieri potuissent? Tua providentia haec omnia ab aeterno excogitavit, concepit, distinxit, digessit, ordinavit. Haec singulorum species, mensuras, formas, partes, qualitates, indoles definivit; vires multiplices et instrumenta veluti panopliam quandam ad proprias functiones, suique defensionem attribuit: haec

omnibus fines praestituit, causas destinavit, et omnia quae rei cuique sunt congrua providit. In illa omnia haec ex antiquis, et priusquam terra fieret, constituta, ubi etiam ordo temporum sine tempore est; nec quidquam ibi novi occurrit, ubi ante omnia tempora extitit quidquid pro temporum varietate in lucem promitur: mutabilium enim dispositionem immutabilis illa ratio continet, ubi sine tempore simul sunt, quae in tempore non simul fiunt; quia tempora non simul currunt. Ibi mutabilium omnium immutabiles stant causae, et omnium temporalium aeternae lucent rationes, et omnium contingentium fixae sunt necessariae radices, et omnium agentium ac operationum stabiles praescriptae leges, et determinati fines. Ibi cuique pro meritis salus constituta vel exitium decreto firmo, indelebili, irrevocabili, tabulis plusquam adamantinis inciso. Ibi extant decreta et sanctiones de rebus omnibus, de earum ortu et progressu, functionibus et effectis, eventis et interitu, quibus temporibus, momentis, locis, causis, quo ordine et modo horum singula sunt futura.

PRECATIO II.

Ad eandem, ibidem.

Sine providentiae tuae legibus nihil omnino nascitur, nihil occidit, nihil operatur, nihil movetur, nihil quiescit. Illa ad suos omnia fines destinat, et singulis intime insidens ac praesidens, propriam cujusque indolem format ac inserit, et per eam rem quamlibet in congruas cuique functiones et proprios fines dirigit. Quid enim est aliud cujusque rei ingenium et nativa propensio, quam tuae providentiae vestigium et impressio? Hinc res omnes ratione carentes, tanta ratione operantur, et in fines suos, quos nec animo percipiunt, nec ullo modo cognoscunt, tam ordinate tendunt. Quanta arte araneus telam e suis visceribus texit, plagulas tendit, venatum muscarum instituit? Quanta subtilitate et industria apiculae struunt favos, formant hexagonos utrinque loculos sobolis matrices, et nectarei succi apothecas; colligunt coelestem rorem, et alia mira in commune veluti in quadam republica gerunt? Omitto admirabile avicularum ingenium in exstruendis nidis ad suam quietem et tutelam, pullorum procreationem et eductionem. Omitto stupendam bombycum indolem in te-

xendis tenuitate paene invisibili filis sericis, in concinnandis filorum glomere loculis, quibus veluti sepulchralibus tumbis inclusi immoriantur, ut post aliquot menses reviviscentes et ex sepulchris suis egredientes, palingenesiam nobis adumbrent. Alia innumera praetereo, tum in animantibus, tum in plantis, quae tanta ratione, arte et providentia fiunt, ut majore fieri non possint: non sua, quae ipsis inhaereat, sed tua, quae ipsis assistit, quaeque vestigium et specimen quoddam sui ipsis imprimens, ita operari facit, ac si summa providentia, et arte praeditae essent. Omnis igitur actio et omne opus naturae, est actio et opus tuae sapientiae et tuae providentiae. Nec aliter omnia secundum legem tuae providentiae agunt, quam si ejus plenam notitiam possiderent.

Rationalem tamen naturam excipio, quae cum suae cujusdam providentiae sit particeps et libera, saepe non tuae providentiae directioni se accomodat, sed sua providentia et arbitrio vivere cupit. Hinc omnis peccati fons, omnis calamitatis origo. Non tamen hoc absque providentia tua geritur. Etsi enim creatura rationalis dum peccat, secundum legem quam illi statuisti, non agat, non tamen abs-

que providentiae lege agit, a qua et vires habet, quibus in suam perniciem abutitur, et sinitur agere ea quae absque ejus permissu agere non posset, et certis circumscribitur limitibus, ne aliter aut amplius male agat, quam tibi permittere visum fuerit. Sic omnia intra providentiae tuae ambitum conclusisti, ut illam nihil possit effugere: ita omnia illi subjecta, ut ejus jugum et dominatum excutere non possint.

PRECATIO III.

Ad eandem, ibidem.

Nunquam providentia tua in sua dispositione fallitur; novit enim priusquam statuat, quidnam ex quavis hypothesi et dispositione sit eventurum: unde etiam nunquam suo frustratur effectu et fructu. Etsi enim inferiorum causarum ordines, qui providentiae tuae sunt quaedam participationes vel impressiones, ob imperfectionem et mutabilitatem suam saepe deficiant, nec ad finem causis illis praestitutum perducant; nunquam tamen tuae sublimis providentiae ordo ac dispositio proprio sibique commenso fine frustratur, sed hunc semper assequitur. Quod etsi modo nondum appareat durante adhuc mundi cursu, et termino

quo tendunt omnia, nondum adducto; ubi tamen decurso stadio suo ad metam pervenerit, clausulaque postremo imposita fuerit, nec ulterius humanarum rerum excurret volubilis rota, tunc se vis providentiae aperiet, et correctis omnibus causarum inferiorum erroribus, omnibusque in ordinem firmissimum et sempiternum redactis, clare perspicietur, quam sapienter, quam suaviter, quam congrue naturis rerum et saluti mortalium, quam convenienter divinae gloriae, omnia ab ipsa fuerint administrata.

Itaque nihil omnino prudentius a me praestari potest, quam si me totum sapientissimae providentiae tuae committam. Dispone de me, Domine, in tempore et aeternitate: fiat ubique et in omnibus de me, juxta sanctissimam tuam voluntatem. Amen.

CONSIDERATIO II.

De sapientia Dei.

Sapiens et *sapientia* dicitur 1. ut causa omnis sapientiae et omnis cognitionis tam parvae, quam magnae in Beatis, in Angelis, in hominibus, in animalibus: nam ipsius sapientia etiam causa est illius tenuis cognitionis, omnisque industriae, quae est in animalibus.

2. Formaliter dicitur *sapiens*, non ut sapientia praeditus et imbutus, sicut mentes angelicae, sed ut ipsa sapientia per se subsistens, in qua omnis plenitudo sapientiae eminenter continetur. Per hanc quasi in primo signo rationis cum infinita claritate comprehendit essentiam suam, et processiones personarum, et ipsas divinas personas. Deinde in secundo signo ex omni aeternitate in omnem aeternitatem extendit se actu, et cum infinita claritate ad omnia possibilia, idque ex vi cognitionis essentiae suae. In tertio signo extendit se ad omnia, quae quaelibet vis creata, vel creabilis potest facere. In quarto signo ad omnia quae essent eventura, posita qualibet hypothesi, quae dicuntur futura conditionata; et sunt infinities infinita: nam circa quamlibet rem liberi arbitrii, possunt circumstantiae rerum infinities variari, et ipsa infinitis modis potest excitari. In quinto signo videt omnia futura absolute in omnem aeternitatem cum omnibus circumstantiis.

3. *Sapiens dicitur* ob singularissimum et eminentissimum modum nulli creaturae communicabilem. Cum enim duo ad sapientiam requirantur, nempe lux intelligentiae, et objectum quod intelligatur, ipse utrumque a se habet in

gradu eminentissimo, et cum perfectione infinita. Nam ipsemet est infinita intelligentiae lux per se subsistens, et ipsemet ex se est omne objectum intelligibile, vel illud in ipso eminenter continetur. Itaque nemini debet lucem intelligentiae, nemini objectum intelligibile.

PRECATIO II.

Ad sapientiam Dei.

Ex lib. 6. *de Perfect.* cap. 6.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Infiniti sunt processus tui, quibus ad creaturas tuas vel formandas, vel illuminandas descendis, et super eas effunderis; et tamen in tua immutabili identitate, supra omnia creata, firmiter fixa, perseveras. Innumerabilia nobis per servos tuos locuta es, et innumeris te modis et formis patefecisti mentibus hominum; et tamen uno simplicissimoque conceptu perficis omnia.

Omnium es auctor et artifex, omnium exemplar, mensura, et finis. Nec solum eorum quae sunt, et jam exterius speciem a te sibi impressam acceperunt, sive invisibilia ea sint, sive visibilia, fictor es; sed etiam eorum quae non

sunt, et tua omnipotentia fieri possunt, quae infinities plura sunt. Omnia enim haec excogitasti, et apud te formasti ante saecula, et retines in conspectu tuo, quamvis ea nunquam foris extra te condere decreveris: sicut magnus quispiam architectus multas palatiorum formas excogitat, menteque retinet, quibus apud se gaudet et triumphat, quamvis ea nunquam exstruere foris statuerit.

Haec omnia apud te summe perfecta existunt, et lucent ab aeterno coram te (non minus quam quae exterius condidisti) circumfusa lumine tuo, singula in specie et ordine suo: iisque gaudes et triumphas in luce tua inaccessibili, ubi ea possides. Ibi corrumpi non possunt, non veterascere, non offundi tenebris, non excidere tibi; sed in eodem semper splendore immutabilia et aeterna persistunt.

Ingredior lumen illud immensum, et vehementer exopto secundum claritatem diei istius ambulare coram te, et esse perfectus. Et cum nimis incertae sint providentiae nostrae, oro supplex in omnibus dirigi hac luce tua et providentia tua, quae in sui dispositione non fallitur. Da hoc sentire, da hoc velle, da hoc constanter exequi. Amen.

PRECATIO II.

Ad eandem, ibidem.

O admirabilem sapientiam, cui omnia praeterita et futura sunt praesentia; cui omnia temporalia sunt aeterna; cui omnia insensibilia et mortua vivunt; cui omnia quae non sunt, existunt; quae totam simul ambit aeternitatem; quae omnem exhaurit infinitatem; quae universam intra se capit immensitatem! Omnia intra se aeternum esse habent, et aeternam vitam initio et fine carentem, et prorsus immutabilem. Habent quidem singula in seipsis esse quoddam sibi intrinsecum, sive actu, sive potestate; sed hoc in rebus creatis habet initium, estque mutabile, neque non viventibus vitam tribuit. Verum, praeter hoc esse quod in seipsis obtinent, habent in divina mente et sapientia tua esse quoddam extrinsecus veluti infusum, sempiternum et immutabile. Intelligere enim, est quoddam intelligibilium esse, per quod in mente veluti in spiritali quodam mundo existunt, splendent, et vivunt. Sapientia igitur tua est omnium intelligibilium esse et vita et lux, juxta illud: *Quod factum est, in ipso vita erat*, ut S. Augustinus et multi Sanctorum intelligunt.

In divina essentia sunt omnia tamquam in primordiali rerum fundo et fundamento; in potentia, ut in causa effectrice ex nihilo; in sapientia formaliter et objective, et velut in causa exemplari. Sapientia primo in essentiam conversa, eam omnino comprehendit, se illi exaequans, et prorsus commetiens. Ex vi hujus comprehensionis sequitur immediate omnium possibilium conceptio seu effictio: ex hac omnium operum et effectuum, quae a creatura tam possibili quam existente fieri possunt, distincta notitia; hinc omnium eorum quae quavis hypothesi futura essent, clara intuitio: denique omnium re ipsa vel praesentium, vel praeteritorum, vel futurorum aeterna visio. Hoc modo et ordine sapientia tua in quinque velut sphaeras objectorum et intelligibilium procedit; et quidquid attingit reliquorum, ex vi comprehensionis essentiae attingit, quae omnium possibilium ratio prima est et fundamentum. Itaque in te non solum est universitas sapientiae et intelligentiae, sed etiam universitas objectorum et intelligibilium.

Quid dicam ad haec, Deus meus? A, A, A, Domine, Deus, ecce nescio loqui; quia puer ego sum. Tantum hoc dico, ne me repellas a pueris tuis, et doce me facere justificationes tuas, et

deduc me per vias rectas, et ostende mihi regnum tuum. Amen.

CONSIDERATIO III.

De Deo, ut est zelotes.

Zelus aliquando significat ardentem amorem alicujus, aliquando indignationem adversus id quod rei amatae est noxium, et ejus amotionem et destructionem. Deus itaque dicitur *zelotes* 1. quia cum summe amet se et gloriam suam, gravissime commovetur et indignatur contra eos qui peccando ipsum contemnunt, et maxime qui ipsius gloriam ad idola transferunt. Unde Exodi 20, cum vetuisset Deos alienos, subdit: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et cap. 34: *Noli adorare deum alienum: Dominus zelotes nomen ejus.*

2. Quatenus indignatur, et amoliri studet ea quae impediunt salutem animarum, quas tamquam sponsas suas et filias amat, quarum salutem summopere desiderat.

3. Quatenus sicut maritus zelotypus indignatur contra animas sibi addictas, si aliquid aliud praeter ipsum, non propter ipsum ament,

si rebus hujus saeculi delectentur, si ipsi in omnibus placere non studeant.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est zelotes.

Ex lib. 11. *de Perfect.* cap. 10.

O zelator animarum, tolle scandalum de regno tuo, quod est anima mea. Coge illam, quantumvis rebellem, ut nutui tuo et rectissimae voluntati obsecundet. Luctatur illa, recalcitrat illa, semper resistit Spiritui sancto tuo; et nescit misera ac miserabilis, se certissime debere pati rigorem tuum, quae excutit benevolentiam tuam.

Vae peccatoribus, qui *tuae* gubernationi et legibus subtrahere se conantur, et sua providentia, suis placitis et arbitrio vivere! Dum enim subducunt se providentiae dirigenti ad vitam, incidunt in providentiam destinantem ad mortem: et dum recedunt ab ordine benignitatis et misericordiae, incurrunt in ordinem severitatis et justitiae: et dum excutiunt jugum suave divinorum praeceptorum, subeunt jugum crudele daemonum et aeternorum suppliciorum. O insaniam sanguineis lacrymis deflendam! Quis mentes mortalium ita fascinavit, et in tantam amentiam adduxit?

Infelices quoque Religiosi illi, qui cum a tua providentia se gubernari per suos Superiores sinere deberent, sua prudentia et consilio vivere volunt, non secus de se soliciti, ac si nullius curae subessent. Subtrahunt enim se suavissimo et certissimo illi providentiae ordini, quo securissime et fructuosissime ad salutem directi fuissent. Varii enim sunt providentiae tuae modi, variae series gubernationum et gratiarum, cuique magis vel minus accommodatae et salutares. Felix ille, cui eum providentiae ordinem, eam gubernandi rationem adhibes, quam nosti maxime salutarem illi fore, et copiosissimi fructus. Nihil in hac vita optabilius, nihil beatius quam sub tali ordine et directione cursum vitae peragere, ex qua tam certa salus, et tantum aeternae gloriae emolumentum. At merito credi potest eam gubernandi formam viro religioso salutarem esse prae ceteris, qua illum providentia tua per superiores illius in cursu vitae, in officiis, functionibus, missionibus, mansionibus, studiis, ceterisque omnibus dirigit: alioquin cur perfecta, et caeca obedientia tantopere a sanctis Patribus laudaretur? cur a sanctissimis viris et sapientissimis ita frequentata esset et culta? cur securissima ad salutem praedicaretur via? cur

Dominus ipse adeo eam commendasset, suasisset, ejusque tanta praebuisset nobis exempla?

Itaque dubitandum non est, quin si quis huic formae providentiae se tradat, et veluti in ulnas ejus se projiciens, ab ea se duci in omnibus sinat, viam ille certissimam adipiscendae salutis teneat. Qui vero ab ea se subducit, sua se providentia regere volens, magno periculo se exponit, ne in illum providentiae incidat ordinem, in quo a salute excidat. Haec enim ratio ab omnibus Sanctis vituperatur, et periculosa judicatur saluti, quantumvis in speciem sancta videatur et salutaris. Extant exempla plurima eorum qui hac via perierunt; nulla eorum qui perierint ista, aut quibus minus bene cesserit. Quomodo enim non optime cedat, quod tu ipse suasisti, ad quod feliciter dirigendum te obstrinxisti? Hanc ergo viam indeclinabiliter teneam, hanc usque ad extremum vitae spiritum sequar, quam tu ipse, et qui Spiritu tuo afflati, prae ceteris commendarunt.

Hoc omnis aequitatis ac justitiae ordo postulat, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta sit, et reddat quae sunt Caesaris Caesari, et quae Dei Deo. Omnino volo, et sic decet nos implere omnem justitiam. Amen.

CONSIDERATIO IV.

De Deo, ut est pax nostra.

Dicitur *pax nostra:* 1. tamquam auctor omnis pacis et quietis animorum, cum ipse sit auctor omnis boni, quod homines concupiscunt, et quo obtento conquiescunt.

2. Peculiariter Christus dicitur *pax nostra*, quia est auctor magnae illius reconciliationis cum Deo, et divina justitia, a qua nobis impendebat aeterna punitio. Porro ita nos reconciliavit, ut non solum Dei iram averterit, sed etiam ex inimicis filios Dei in haeredes fecerit regni.

3. Dicitur *pax nostra*, quatenus dissidium quod erat inter Judaeos et gentes sustulit, utrosque copulans in unum populum, juxta Apostolum ad Ephes. 2.

4. Quia omnis animi quies, omnisque consolatio ab ipso est, et per ipsum confidimus nos vitam aeternam et plenissimam animi quietem obtenturos.

5. Quia in Deo erit omnium desideriorum nostrorum impletio et perfectissima quies animorum, cum nihil amplius supererit desiderandum. Nam quidquid secundum rectam ratio-

nem desiderare poterunt Beati, plenissime in coelo semper possidebunt.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est pax nostra.

Ex lib. 1. *de Perfect.* cap. 10.

Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati. Intus pugnae, foris timores. Saevit intus perennis seditio tumultuantium inter se passionum. Foris quanta rerum omnium intemperies, quanta orbe toto perturbatio! Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quid tandem est solidi in tam fervida tempestate?

Unum superest, Domine, ut sublimis providentia tua mihi semper ob oculos versetur, et quidquid prosperi vel adversi obvenerit, ab illa duci et pendere intelligam, deque benefica manu tua excipiam. Nihil enim fit in tempore, quod ab illa ob justissimas causas non sit dispositum in aeternitate. Haec mihi in asperis sit solatio: haec animum turbidis mundi in rebus, in regnorum, religionisque sacrae et animarum cladibus turbatum afflictumque componat et tranquillet. Omnia enim providentia

tua sapientissime disponit; et quidquid erratum fuerit a creaturis, quidquid ab ordine recesserit, ita corriget et in ordinem rediget, ut in omnibus gloriae tuae majestas magis resplendeat, quam si omnia primum ordinem, in quo posita fuere, tenuissent.

Non patitur quidem hujus vitae conditio et lex charitatis, ut proximorum damnis et exitiis, divinaeque majestatis injuriis non tangamur, non afflictemur, absque hujusmodi stimulo vix ad opitulandum excitaremur: sed adhibenda moderatio; et ubi res peractae sunt, vel desperatae, nihilque opera et preces nostrae possunt adferre praesidii, expedit inanes moerores depellere, et providentiae tuae contemplatione animum solari. Haec mihi fiduciam pariat in torroribus, securitatem in periculis, robur in arduis, tranquillitatem in turbulentis, tolerantiam in adversis, aequitatem animi in futurorum expectatione. Haec vanas a mente nostra solicitudines depellat, perinde ac si a sola providentiae tuae benignitate omnia provenirent; et simul ea sedulitate rebus agendis intentam faciat, quam earum magnitudo et status postulat. Nostram enim cooperationem, nostrumque studium postulat providentiae tuae gubernatio; sed supervacaneam curam, et an-

xietatem in rebus temporalibus, negotiisque hujus vitae respuit, et damnat. Haec omnia mea disponat et regat usque in finem, sicut saluti meae et gloriae suae expedire novit, sive per prospera, sive per adversa, per honorem vel ignominiam, per infamiam vel laudem, per abundantiam vel inopiam, per morbos vel sanitatem, per vitam vel mortem: nihil excipio, nihil refugio. Hoc unicum et antiquum votum meum. Fac mecum sicut scis profuturum saluti meae et gloriae tuae, ut te in omnem aeternitatem contempler et admirer, amem et honorem, laudem, benedicam et glorificem in omnibus et supra omnia. Amen.

CONSIDERATIO V.

De Deo, ut est fortitudo nostra.

Dicitur *fortitudo nostra*, 1. quia ipsius ope ex statu peccati et damnationis assurgimus ad statum gratiae et filiorum Dei.

2. Ipsius ope vincimus hostes nostros fortissimos et callidissimos, et omnes eorum machinas dissolvimus.

3. Ipsius ope subeuntur martyria, etiam a virginibus et pueris, et omnis tyrannorum saevitia superatur, omnia mundi blandimenta contemnuntur.

4. Ipsius ope in rebus arduis praestatur perseverantia.

5. Ipsius ope conscenditur in coelum, et aeterna vita obtinetur.

Denique, ipse est fortitudo Sanctorum; quia ipsius ope possunt omnia, quae ad gloriam Dei et salutem animarum pertinent.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est fortitudo nostra.

Ex lib. 10. *de Perfect.* cap. 7.

Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Nihil enim possum sine te.

Nihil est solidi vel in corporibus, vel in spiritibus, nisi quatenus virtus tua intrinsecus ea continet et constringit, ne veluti aqua diffluant, vel tamquam fumus dissipentur, vel ut visum quoddam et phantasma inane evanescant. Omnia mollia sunt tibi et tractabilia, omnia fluxa et evanida, et minimo nutu imperii tui in quamvis formabilia speciem. Nulla coram te est soliditas montium et saxorum, nulla durities ferri et adamantum, nulla firmitas coelorum et astrorum: nihil horum sine perpetuo influxu fotuque lucis tuae consistere

potest. Tu ergo omnium Dominus, a quo assidue fiunt et pendent omnia; qui omnia sustentas ne corruant, foves ne tabescant, contines ne diffluant, constringis ne dispereant.

Fortissime Deus Israel, sustenta me; contra hostes protege me; in lubrico stantem contine me, et per ardua promove me; in periculo titubantem tuere me; in asperis tolerandis conforta me; in omnibus comitare me. Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum. Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus: laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. Amen.

CONSIDERATIO VI.

De Deo, ut est firmamentum nostrum.

Dicitur *firmamentum nostrum*, quia omnis firmitas justorum in justitia, et omnis constantia in bono contra omnes tentationes et difficultates inconcussa perseverans, ab ipso est.

2. Quia omnis firmitas beatorum in illo statu beatissimo ab ipso pendet, et ipsius decreto stabilitur.

3. Quia generatim omnis firmitas creaturae, tam spiritualis quam corporalis, quam habet vel in sua natura, vel in suis operationibus,

vel in suo statu, ab ipso solo pendet per ejus potentissimum et immutabilem influxum.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est firmamentum nostrum.

Ex disp. *de Praedest. Christi,* sect. 4.

Confirma me, Domine Deus Israel, in hac et omni hora. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Sine te omnia collabescunt, et per te omnia sustentantur. Ut omnis infirmitas a nobis et in nobis, ita omnis firmitas a te et in te. Universim a te sunt universa, et a te singula sigillatim.

Itaque ad quem nisi ad te confugiam, in quo est meum pretium, meum meritum, mea justitia, mea sanctificatio, et omne praesidium meum? Tu enim Deus et Dominus, frater et pater noster. Tu sacerdos et hostia, redemptor et justificator, judex et praemium nostrum. Ex tuo arbitrio pendet remissio peccatorum, justificatio, perseverantia, salus aeterna, et omne bonum nostrum. In tua charitate et misericordia, in tuis meritis et pretio tui sanguinis omnem fiduciam meam colloco, et ex illis salutem animae meae expecto. Non meis operibus confido, non meis virtutibus nitor; nosti

imperfectum meum, teporem et languores animae meae: et ego ex parte cognosco, et ex animo cum gemitu confiteor. Scio me parum profecisse, et lumini ac gratiae mihi communicatae non ut par est respondisse. Scio negligentias meas multas ac magnas; et occulta mea quae nescio pertimesco. Et ideo non intres in judicium cum servo tuo; neque facta ipsius, justitiae tuae trutina pendas: sed impende ei pretium sanguinis tui, et ex immenso meritorum tuorum thesauro supple defectus operum ejus, et imple mensuram justitiae; ut cum fiducia in magno illo die tuo stare possit ante tribunal tuum, et sententiam illam tuam cum ceteris laetanter excipere: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Amen.

Subjunguntur jaculatoriae precatiunculae fundatae in via illuminativa.

Pro generali virtutum augmento.

Dixi, nunc coepi. Da mihi, Domine, intellectum, et vivam. Psalm. 76. 118.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Psalm. 24.

Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsae me

deducent, et adducent in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Psalm. 42.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. Psalm. 66.

Jesu fili David, miserere mei. Quid tibi vis faciam? *Domine, ut videam.* Luc. 18.

Doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es tu. Psalm. 142.

Loquere, Domine; quia audit servus tuus. 1. Reg. 3.

Magister, sequar te, quocumque ieris. Matth. 8.

Tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus, illumina tenebras meas. Psalm. 17.

Domine, quid me vis facere? Act. 9.

Pro speciali incremento virtutum theologicarum.

Adauge in me, Domine, fidem: adauge spem, adauge charitatem. Augustin.

Credo Domine, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Joan. 11.

Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te. Matth. 11.

Nosse te Domine, consummata est justitia. Sap. 15.

Dominus meus, et Deus meus. Joan. 20.

Expecta Dominum, viriliter age, et confundetur cor tuum, et sustine Dominum. Psalm. 26.

Domine, cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Abac. 3.

Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo? Psalm. 26.

Mihi autem adhaerere Deo bonum est, et ponere in Domino spem meam. Psalm. 72.

Bonus es Domine, sperantibus in te, animae quaerenti te. Thren. 3.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me; ad defensionem meam conspice. Psalm. 21.

Domine, salvum me fac a pusillanimitate spiritus, et tempestate. Psalm. 54.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem tuam? Psalm. 41.

Desidero te millies, mi Jesu: quando venies? me, de te, quando saties? Bern. in Jubilo.

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Psalm. 72.

Da mihi, Deus meus, te: redde mihi te: en amo te: et si parum est, amem validius. August. in Medit. cap. 18.

Minus amat te, Domine, qui tecum aliquid

amat, quod propter te non amat. Idem lib. 10. Confess. cap. 29.

Domine, tu omnia scis: tu scis; quia amo te. Joan. 21.

Deus meus, bonitas ipsa, per quem bona sunt omnia, quae bona sunt: cur non amem te, cum sola amoris materia sit bonitas? S. August. in Medit.

Diligo te, Domine, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, et ex totis viribus meis. Luc. 10.

Diligo te, Domine, plusquam me: et diligo te super omnia.

Pro speciali incremento virtutum cardinalium.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis. Sap. 9.

Mitte Domine, sapientiam de coelis sanctis tuis, ut mecum sit et mecum laboret; ut sciam quid acceptum sit, apud te. Sap. 9.

Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi. Psalm. 118.

Justitiae Domini rectae, laetificantes corda: praeceptum Domine lucidum, illuminans oculos. Psalm. 18.

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. **Psalm. 118.**

Judica me, Domine; secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me. **Ps. 7.**

Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor. **Psalm. 9.**

Judica me, Domine: quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor. **Psalm. 25.**

Averte oculos meos; ne videant vanitatem. **Psalm. 118.**

Scio, quia aliter non possum esse continens, nisi tu des, Deus meus. **Sap. 8.**

Aufer a me, Domine, ventris concupiscentias, et animae irreverenti et infrunitae ne tradas me. **Ibid.**

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. **Psalm. 50.**

Diligam te, Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. **Psalm. 17.**

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium, et digitos meos ad bellum. **Psalm. 142.**

Fortitudo mea, et laus mea, Domine, factus es mihi in salutem. **Exodi. 15.**

LIBELLUS TERTIUS.

CONSIDERATIONES VIAE UNITIVAE

PRO PERFECTIS.

CUI PRAEMITTITUR TRACTATUS DE UNIONE CONTEMPLATIVORUM CUM DEO IN HAC MORTALI VITA.

Per sublimissimam operationem intellectus et voluntatis.

Ex lib. 2. de *Summo Bono.*

PRAEMONITIO.

Ad contemplationis omnisque perfectionis studiosos.

Vobis singulari jure deberi hanc peculiarem lucubrationem existimo, si ipsum auctorem, si ejusdem consilium, si scribendi argumentum intueor. Auctor in primis ad illa quae desiderii indolisque vestrae sunt, eximie fuit comparatus; qui per decem lustra Dionysio Areopagitae (is in academia theologiae mysticae professor primarius censeri potest) evolvendo diligentissimam operam dedit: qui vitae suae decursu Blosios, Harphios, Tauleros, Rusbrochios, similesque orationis sublimioris doctores accurate perlegit: qui

opusculum hocce, non tam studendo, quam contemplando, vixque ullius scriptoris adminiculo, ex sola nimirum lectarum saepe rerum ac saepius ruminatarum divite memoria, et potissimum divinitus hausta luce, confecit postremo vitae suae tempore, cum calculorum acerrimis doloribus haec ipsi vita conficeretur, et ipse altissima perfectionum istarum divinarum contemplatione exilii sui aerumnas levaret, eamque quae in coelis beatitudo praeparabatur, hic in suo incolatu praegustaret.

Noverat sublimis illa anima Deum Optimum Maximum esse summum bonum tum ipsi sibi, tum creaturae rationali. Noverat quoque, summum illud bonum, ut creaturae rationalis summum bonum sit, debere ab ea possideri, et eidem uniri. Non enim potest bonum aliquod alteri bonum esse, nisi illi communicatum; et quidem sic, ut pro ratione qua bona communicantur, boni illius solum quis particeps fiat. Unde apud se statuebat omnem suam industriam, studium, et conatum eo convertenda, ut Deo summo suo bono, quantum mortali fas est, conjungeretur. Cum autem haec unio seu conjunctio duarum potentiarum, intellectus scilicet et voluntatis, nexu potissimum fiat, ipse intellectum suum divinarum omnium perfectionum altissima contemplatione, et voluntatem

earundem ferventissimo amore, arctissime Deo copulare nitebatur: et ut ad plures istius suae unionis cum Deo fructus perveniret, quae ipse in se de illa expertus, et quae apud mysticos auctores observavit, praeclare in libro secundo de summo bono expressit, quae ut vobis ad manum sint, nos hic in aliquot capita distribuemus, ut Lessiano isto subsidio in hac mortali vita beatitudinem nostram, quae in aeterna complebitur, felicius securiusque auspicemur.

CAPUT PRIMUM.

Tres modi, quibus Deus in hac vita creaturis suis, et maxime justis, unitur.

Ex lib. 2. cap. 1. nu. 1. 2. 3. 4.

Tres modi sunt, quibus concipi potest Deus menti nostrae uniri seu conjungi. *Primo*, unione dependentiae, qua assidue mens nostra, et non solum haec, sed et omnes creaturae a Deo dependent. Sicut enim lumen dependet a sole, et ideo certo modo ei connecti debet, ita totus mundus et universa creatura pendet a Deo, eique miro quodam modo cohaeret et connectitur, quia assidue ab ipso et esse, et speciem, et pulchritudinem, et vim omnem accipit. Si inter solem et lunam aliquid inter-

poneretur, quod illam connexionem luminis cum fonte interciperet, mox totum lumen evanesceret, et essent tenebrae. Pari modo si inter creaturam et Deum aliquid posset interponi, quod illius conjunctionem et cohaerentiam cum Deo impediret, statim creatura instar luminis extingueretur, et evanesceret in antiquum nihilum, essentque tenebrae, per absentiam luminis substantialis.

Secundus modus unionis est per intimam penetrationem, qua Deus, ratione suae immensitatis et subtilitatis, omnibus corporibus et spiritibus est intime praesens, multoque penitius quam lumen aëri, vel anima corpori.

Tertius modus unionis est per fidem, spem, et potissimum per charitatem, seu per gratiam justificationis. Per fidem Deus mentibus nostris exhibetur, et quodammodo praesens sistitur. Per spem illi innitimur. Et per charitatem intime ac filialiter ei conjungimur: per hanc enim ita nobis communicatur et unitur Spiritus sanctus, seu ipsa divinitas, ut ex hac unione efficiamur filii Dei, tamquam participes effecti divinae naturae.

CAPUT SECUNDUM.

De alio modo unionis, quo Deus in hac vita mentibus vere contemplativorum conjungitur.

Ibidem nu. 7.

Praeter tres priores modos quibus Deus mentibus justorum omnium in hac vita conjungitur, alius est multo sublimior per transformationem in nostrum principium, et transitum in ideam a qua profluximus. Docent enim quidam contemplativi, beatitudinem nostram in eo consistere, ut toti a nobis et ab esse nostro creato deficiamus, et transeamus in nostrum esse increatum et superessentiale, quod in nostra idea habuimus ab aeterno; ubi unum sumus cum Deo, una essentia, una vita, una lux, una beatitudo, unus spiritus.

Quae sententia dupliciter intelligi potest. *Primo*, ut secundum rem desinat nostrum esse creatum et convertatur in esse increatum: quae fuit haeresis quorundam tempore sanctissimi et admirabilis viri Joannis Rusbrochii, qui floruit circa annum Domini M.CCC. LXX. Gerson impingit eam ipsi Rusbrochio; sed immerito: ut bene ostendit Dionysius Carthusianus lib. 3. De contempl. cap. ultimo; et ipse Rusbrochius eam tamquam im-

piissimam haeresim damnat. lib. de septem custodiis. cap. 14. et lib. 2. de ornatu spiritalium nuptiarum cap. 76. et sequentibus, et opusculo quod inscripsit *Samuel*, seu *de vera contemplatione.*

Secundo haec sententia intelligi potest, ut ipsum esse creatum non desinat secundum rem, sed solum quoad sensum et affectum contemplantis; qui ita ad Deum rapitur, ut seipsum amplius non sentiat, sed solum Deum: in quem sibi videtur transformatus. Hunc modum vocant *unionem fruitivam*, in qua anima fruitur Deo, sui prorsus oblita, ipsius dulcedinem cum ineffabili delectationis sensu percipiens et degustans, perinde ac si ipsa esset in Deum transformata. Et hoc sensu ista sententia intelligitur a Rusbrochio, Dionysio Carthusiano, et aliis contemplativis; neque quidquam incommodi continet. Verum hic non requiritur alia unio quam ea quae fit per visionem et amorem, ut statim ostendetur.

CAPUT TERTIUM.

Quomodo modus iste unionis medius sit inter unionem quae fit in gloria per visionem et amorem beatificum, et inter unionem quae fit in hac vita cum auxilio ordinario per actum fidei, spei, et charitatis.

Ibid. nu. 7. §. Nihilominus tamen.

Quartus modus unionis, de quo hic agimus, multum distinguitur ab unione illa quae fit in gloria per visionem et amorem beatificum, et ab unione quae fit in hac vita cum auxilio ordinario per actum fidei, spei, et charitatis, etiam in viris perfectis. Nam illa unio inter has duas unionum species medio modo se habet. Non enim fit per actus nostros cum auxilio ordinario, sed cum influxu Dei specialissimo, quo isti actus in anima devota excitantur et formantur, ipsa se passive habente, id est, non libere cooperante (etsi vitaliter concurrat) sicut in motibus gratiae praevenientibus. Per tales actus Deus potest animae repraesentare quidquid ipse voluerit, efficiendo ut ipsa concipiat intellectu mirabilia, ineffabilia, lucem immensam, solitudinem immensam, pulchritudinem incomprehensibilem, gloriam coelestem, et alia stupenda, quae san-

ctis viris in eorum ecstaticis contemplationibus objiciuntur; et simul potest in eadem anima excitare ardentissimos actus amoris, gaudii et delectationis, et sensum quendam tactus ac gustus suavitatis et dulcedinis divinae, atque adeo ipsius deitatis. Item sensum cujusdam annihilationis sui et transitus in dilectum, vel in suum principium, vel demersionis in pelagus quoddam deliciarum: cessante interim sensuum inferiorum officio, et usu libero imaginationis, intellectus, et voluntatis. Talia plurimi Dei amici saepe experiuntur, cum summo in cognitione et amore Dei suique despicientia profectu, qui ex hujusmodi visitationibus sequitur.

Simili fere modo peractae omnes visiones propheticae, Deo formante in phantasia vel intellectu Prophetarum varios actus vitaliter repraesentantes id quod ipse volebat ab illis concipi, sive id fieret per modum visionis, sive per modum auditionis, sive per modum odoratus odoris suavis vel tetri, sive per modum gustus, sive per modum tactus. Possunt enim omnibus his modis actus interni in anima, etiam in portione superiori, excitari a Deo. Exempla habemus plurima tum in prophetis, tum in Apocalypsi S. Joannis: unde dicunt se vidisse, se audivisse, gustasse, tetigisse, etc.

Ex quibus patet *primo*, non esse opus ut Deus formet aliqua objecta seu simulacra objectorum, quae mentibus objiciantur: tum quia actus vitales abunde sufficiunt; (cum per se formaliter quaelibet objecta menti objiciant) tum quia vix concipi potest quomodo aliqua objecta in mente formari possint, ut lux immensa, caligo immensa, profunditas immensa, et similia: tum quia unico actu simul innumera repraesentari possunt; ut cum Joannes vidit *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Itaque perspicuum videtur, omnes tales visiones fieri per solos actus, per quos fieri potest clara repraesentatio objectorum, perinde ac si existerent, quamvis nullo modo existant.

Patet *secundo*, non esse contemnendos scriptores mysticae theologiae, etiamsi ea quae ipsi scribunt, nos non experiamur: quia cum multi eorum sint viri sanctissimi, et omnibus virtutibus ornatissimi, non facile putandum est eos decipi, cum omnia quae passim de suis experientiis scribunt facillime fieri et explicari possint.

Patet *tertio*, recte hunc modum unionis, quem contemplativi supremum in hac vita statuunt, poni distinctum a ceteris, ut qui

specialissimo Dei influxu fiat, et paucissimis concedatur. Haec paulo fusius, ut melius haec unio concipiatur, et ne putentur inania, quae de hac a contemplativis scribuntur.

CAPUT QUARTUM.

Quod haec unio contemplativorum cum Deo consistat in actibus intellectus et voluntatis.

Quae hactenus duobus praecedentibus capitibus dicta sunt de unione contemplativorum cum Deo, complectuntur tam actus intellectus, quam voluntatis: ex his enim duobus perfecta cum Deo conjunctio perficitur. Necesse tamen semper est, ut actus intellectus voluntatis actum praecedat. Cum enim voluntas per se caeca sit, in nullum actum ferri et exilire potest, nisi prius intellectus lucem exhibeat, qua voluntas in bonum (quod solum ejus est objectum) se movere possit. Pro ratione autem qua intellectus voluntati bonum exhibet, ipsa in bonum fertur. Unde si bonum sic voluntati proponatur, ut ipsa non omnino ad id prosequendum determinetur, potest illa pro innato et suipotente arbitratu id ipsum prosequi, vel ab ejus prosecutione abstinere. Si vero omnem boni plenitudinem in eo inveniat, tunc ad id amandum et appetendum in tantum impellitur,

quantum in eo boni deprehendit. Quae boni appetitio, ut locum habet in rebus quae naturaliter objiciuntur, sic et in iis quae lumine gloriae in coelis proponuntur: nec non in iis, quae juxta quartum unionis modum divina bonitas in contemplativorum intellectu ac voluntate operari solet: adeo ut juxta proportionem luminis in intellectu, ipsa voluntas amore et affectu commoveatur. Quia vero utilissimam in contemplatione partem voluntas obtinet, nos hic, ut ad manum sint, has voluntatis functiones et actus exscribemus, quas auctor noster lib. 2 de Summo Bono c. 11. et 12. expressit.

CAPUT QUINTUM.

De amore contemplativorum, quid sit.

Ex cap. 11. nu. 84.

Est itaque primus et praestantissimus voluntatis actus amor ille, quem in contemplativorum mentibus Deus excitat; e quo velut ex uberrimo fonte reliquae sanctae voluntatis motiones solent effluere. Amor autem ille *juxta auctorem nostrum,* est impetus quidam supernaturalis, quem Deus, per contemplationem propositus, miris modis imprimit voluntati. Sicut enim magnes impetum quendam imprimit ferro, quo illud

ad magnetem trahitur, et ei se arcte conjungit: ita Deus per illud lumen conspectus impetum quendam imprimit animae, quo ipsa potentissime in illum trahitur. Quod enim impetus vel pondus in corporibus, hoc amor in spiritibus. Amor ergo Dei est pondus et impetus et tractus naturae spiritali accomodatus, quo in Deum tamquam centrum aeternae quietis fertur.

Idem locum habet in cujusvis rei amore. Omnis enim amor est pondus quoddam et impetus et tractus animae in bonum adamatum: neque melius quam ex hac analogia ratio amoris potest concipi. Cum enim sit res spiritalis, non potest a nobis nisi ex corporalium analogia intelligi, qualis hic pulcherrima cernitur, unde S. Augustinus lib. 1. de Civit. cap. 28. *Omnes res quasi locorum et ordinis proprii habent appetitus. Nam velut amores corporum sunt momenta ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocunque fertur.* Haec ille.

Pari modo amor est analogum calori, sicut visio et intellectio luci. Sicut enim visio et omnis formata intellectio est lux quaedam spiritalis, ita amor est calor spiritalis: et sicut

lux corporalis gignit calorem corporalem, quo corpora incalescunt, ita lux spiritalis, nempe cognitio boni, gignit calorem spiritalem, quo spiritus effervescunt.

CAPUT SEXTUM.

De effectibus amoris divini in contemplativis. Et primo quidem de ecstasi.

Ex cap. 12. nu. 88.

Sanctus Dionysius Areopagita (in libro de divinis nominibus) multas divini amoris vel proprietates vel effectus recenset. Ex quibus duo praecipui nobis explorandi: quorum alter est ecstasis, alter unio cum dilecto. De priore agemus hoc capite. Tribuit autem priorem hunc effectum amori divino Dionysius, libro de divinis nominibus, capite 4. parte prima. *Amor*, inquit, *divinus ecstasin facit, non sinens amatores esse sui juris, sed in jus eorum quae amantur, penitus transferens.* Hoc autem dupliciter fieri potest.

Primo, cum ita affectus et cogitatio amantis transfertur in dilectum, ut sui et rerum suarum obliviscatur, suaque omnia negligat. Tunc enim anima cogitatione et affectu quasi extra se egressa, tota in rebus dilecti versa-

tur, ut jam non in suo corpore, et in se vivere videatur; sed in dilecto, et dilectus in ipsa. Hoc modo (teste Dionysio) divine dictum ab Apostolo: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.* Ita enim cogitatione et affectu erat in Christo et Christi causa, ut eorum quae ad sua commoda, honorem, vitam pertinerent, prorsus videretur oblitus. Simili quodam modo, ut idem Dionysius ait, Deus ipse ecstasin quandam passus est, cum prae amoris in genus humanum magnitudine, sui honoris quodam modo oblitus, nostram naturam et miserias suscepit, et tam indigna atque acerba in ea pertulit.

Hic effectus excellenti modo reperitur in contemplativis: sic enim cogitatione et affectu trahuntur in Deum, ut a seipsis exeant, nihil de rebus suis cogitantes, nihil sibi appetentes, nisi quatenus ad Deum id pertinet, ejusque gloriae servire potest. Itaque omnibus cogitationibus, curis, et motibus proprii amoris, quantum in hac mortali fragilitate fieri potest, penitus extinctis, sibi quasi mortui sunt, et soli vivunt Deo. Exuunt vitam humanam, quae sua dumtaxat cogitat et curat, et induunt vitam divinam, quae est Deum contemplari, et super omnia et in omnibus amare et laudare.

Alter modus, quo fit ecstasis vi amoris, est, cum ita mens in Deum per contemplationem et amorem trahitur, ut functiones virium inferiorum, praesertim sensuum, cessent, sic ut homo non videat, nec audiat, nec sentiat quidquam: et interdum etiam vitalis facultatis operatio ita intercipitur, ut vix discerni possit, an adhuc vivat. Hoc modo multi Sanctorum vi contemplationis et amoris ecstasin passi sunt. Quin imo etiam absque amore, vi contemplationis, talis ecstasis fieri potest. Verum haec ecstasis solum in hac vita, et non in Beatis locum habet, quia ex imperfectione quadam et imbecillitate provenit: nimirum ex eo, quod anima, dum per vires superiores intentissime circa aliquod objectum versatur, non possit naturaliter simul uti viribus inferioribus, ut quotidiana experientia docet. Cujus rei causa est, vel quia tota ejus vis expenditur et veluti exhauritur circa illud objectum; vel quia vires inferiores destituuntur spiritibus ad functiones earum necessariis, dum hi omnes sursum trahuntur, ut imaginationi et contemplationi illius objecti serviant.

CAPUT SEPTIMUM.

De secundo effectu amoris, qui est unio amantis cum dilecto et transformatio in dilectum.

Ibid. n. 91.

Alter effectus amoris est unio amantis cum dilecto et transformatio in dilectum. Hunc ponit S. Dionysius libro de divinis nominibus c. 4. p. 2. ex hymnis amatoriis S. Hierothei; ubi S. Hierotheus ait, omnem amorem sive carnalem, sive spiritualem, esse *vim unientem et commiscentem:* nimirum, quia amantem cum amato unit, et commiscet in unum, ut ex utroque unum fiat.

Sed quomodo fit haec unio? Non solum affectu, sed etiam re ipsa, quantum fas est: amor enim impellit amantem, ut re ipsa adsit amato, eique, quantum fieri potest, arctissime se conjungat. Id patet in omni genere amoris. Ac primum in amore carnali, qui ad copulam, qua conjuges fiunt una caro, incitat. Secundo, in amore parentum, qui liberos suos optant semper habere praesentes, et eorum praesentia frui, eos amplecti et osculari. Amplexus enim et oscula sunt effectus, et consequenter signa amoris tum casti et spiritalis, tum impuri et carnalis; quia unionem quandam

amantis cum amato, ad quam amor impellit, continent. Quod si reipsa amans amato adesse nequeat, saltem adest cogitatione et imaginatione, et hoc modo illi unitur. Tertio, in amore honestae amicitiae. Amici enim libentissime simul sunt, et mutuo fruuntur aspectu et colloquio, amore eos utrimque ad hoc impellente; et uterque alterius negotia sua reputat, quasi uterque in alterum transierit. Unde amicus *Alter ego* dici solet. Idem omnino fit in amore Dei, qui ad quincuplicem unionem ordine quodam impellit. Nos in hoc capite de tribus prioribus unionibus, in sequenti de duabus aliis agemus.

Ac primo quidem amor Dei impellit hominem ad *unionem per crebram cogitationem:* cum enim illum praesentem habere nequeat, assidue, quantum fieri potest, cogitatione illi adest. Unde qui raro de Deo cogitant, neque eum ubique praesentem considerant, eo ipso ostendunt, se in amore ejus parum esse ferventes: fervens enim amor totam cogitationem in dilectum trahit; ut etiam in iis qui carnaliter amant, manifestum est. His enim species personae dilectae semper ob oculos versatur, ac cogitatione semper illi adsunt: ut vere dictum sit, animam magis esse ubi amat, quam ubi

animat magis, inquam, quia nobiliori modo, nimirum per unionem intellectualem, et majori sensu ac gustu.

Secundo, impellit ad *unionem per obsequium:* qui enim alteri servit, est ejus veluti instrumentum, ac proinde ei conjungitur ut motori, ac fini ob quem agit. Hinc ardentes Dei amatores semper in negotiis Dei versantur; et suis commodis ac honoribus neglectis, solum quaerunt honorem Dei, suasque omnes functiones ad illum dirigunt, et sic per eas se illi connectunt.

Tertio, impellit ad unionem, quae fit per *vitae similitudinem, et morum imitationem:* similitudo enim est quaedam unio rerum quae similes dicuntur, cum sit una forma in duobus. Hinc Dei amatores charitatis impulsu divinos amores imitari student: Dei, inquam, charitatem, patientiam, beneficientiam in inimicos, misericordiam, clementiam, juxta monitum Domini Matth. 5. v. ultimo, quo priorem partem suae exhortationis concludit: *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Deinde totam Christi vitam (in qua omnis perfectio continetur) in sua vita exprimere conantur, ut in hac, tanquam in imagine, ipsa resplendeat. Ad quod passim nos hortatur

Apostolus, cum hortatur ut *Christum induamus, ut portemus imaginem hominis coelestis*, nempe Christi; *ut Christi passiones imitemur, ut carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus, etc.*

CAPUT OCTAVUM.

De quarta et quinta unione amantis cum dilecto. Quarta quidem, quae fit per sublimem contemplationem. Quinta vero, quae fit per quandam liquefactionem et demersionem in abyssum divinitatis.

Ibid. n. 93. et 94.

Quarto itaque amor Dei impellit ad unionem per *sublimem contemplationem*, per quam, quantum fas est vitae mortali, Deo maxime conjungimur. Ad hanc hortatur S. Dionysius Timotheum cap. 1. mysticae theologiae his verbis: *Tu vero, o chare Timothee, circa mystica spectacula contenta exercitatione et sensus relinque, et intellectuales operationes et omnia sensilia et intellectilia, et omnia quae sunt, et quae non sunt; et ad unionem ejus qui super omnem essentiam et notionem est, quantum fas est, ignoto modo attollere.* Dicit hanc unionem fieri *ignoto modo*, quia non fit contemplando aliquam formam, vel rationem a nobis conce-

ptibilem, ut vitam, sapientiam, potentiam, bonitatem et aeternitatem, etc. sed fit ablatione omnis formae, considerando Deum, omni forma, quae a nobis animo concipi queat, esse eminentiorem. Illam eminentiam, quia nullo modo a nobis sub aliqua forma concipi potest, vocat ipsam *divinam caliginem, et lucem superessentialem.* Nobis enim caligo est, quia per negationem omnis formae intelligibilis concipitur; sed in se est lux omni luce eminentior.

Quinto denique impellit amor Dei ad unionem per quandam *liquefactionem, et demersionem in abyssum divinitatis.* Ferventes enim Dei amatores ita subinde in contemplatione per amorem in Deum effervescunt, ut sibi toti liquescere, et a suo esse creato deficere videantur, et in abyssum divinitatis demergi ac absorberi, ibique se amittere, ita ut se amplius non sentiant, tamquam suum esse, suamque naturam exuerint; sed solum sentiunt Deum tamquam in illum transformati, et illius essentiam, vitam, lucem, et sensum induti, imo tamquam eadem essentia, vita, et lux cum illa effecti.

Hunc modum interdum experiuntur viri sancti contemplationi dediti, qui etiam ut sensum suum exprimant, utuntur subinde quibus-

dam loquendi formulis, quae benigne sunt intelligendae: ut *quod amatorii spiritus in Deum altissime sublevati liquescant et defluant in incognitam caliginem, amittant seipsos, et perdant in abysso divinitatis, transeant in esse increatum ac ideale, in quo fuerint ab aeterno, fiant una simplex beatitudo, unum aeternum amoris incendium cum Deo.* Non enim haec ita accipienda sunt, quasi per amorem re ipsa amittant suum esse creatum, et mutentur in divinitatem, sed alio modo; idque dupliciter. Primo, quod ista fiant quantum est ex vi affectus: summus enim amor ad summam nititur unionem; et si fieri posset, ipsum amantem converteret in amatum, ut ipse se totum illi perfectissime impendat et uniat. Simili modo considerando infinitam Dei perfectionem, desideraret ipsum infinite contemplari, infinite amare, et laudare, si fieri posset. Neque mirum videri debet, si ineffi-cacibus votis amantes impossibilia affectant, quia amor caecus est, nec mensuram novit, praesertim ubi bonum quod amatur, mensuram non habet. Secundo, quod ista fiant secundum sensum et perceptionem contemplantium, praesertim in hac vita. Ita enim amore accenduntur, ut sibi quasi deficere, et liquescere videantur; et ita potenter trahuntur in abyssum

divinitatis, ut in illam veluti demergi et absorberi videantur, et seipsos in illa perdant; adeo ut suum esse creatum ibi non sentiant, sed solam Dei essentiam.

CAPUT NONUM.

Quomodo haec liquefactio seu defectio per amorem dupliciter fieri possit.

Ibid. n. 95.

Haec *liquefactio* seu *defectio per amorem* dupliciter fieri potest. Primo, ratione consumptionis spirituum per intentissimam et assiduam cogitationem, vel contemplationem rei dilectae, et vehemens desiderium, quo assidue ad illius praesentiam adspirat: contemplatio enim exhaurit spiritus animales, vehemens amor et desiderium cordis spiritus vitales. Hinc sequitur maxima corporis debilitas et virium defectus: et saepe amor potest esse tam vehemens, ut sequatur mors, omni spiritu vitali, prae nimia cordis dilatatione, diffluente. Sic multi putant B. Virginem vi amoris mortuam. Hinc sponsa Cantic. 2. *fulcite me floribus, stipate me malis;* (quibus spiritus exhausti et lassi recreentur) *quia amore langueo:* et cap. 5. *anima mea liquefacta est, ut* (dilectus meus) *locutus est;* et

Psalm. 118: *Defecit in salutare tuum anima mea:* nempe exhaustis viribus assidue cogitando et suspirando ad salutem, vel salvatorem, quem promisisti. Neque hoc mirum videri debet; cum etiam amor carnalis vires exhauriat, et tabescere interdum faciat, cum is qui vehementer amat, re optata frui nequit.

Secundo, ratione immensitatis boni, quod amandum et contemplandum proponitur; quod cum vident se amando exaequare non posse, quodammodo deficiunt. Illud enim bonum infinitum amorem postulat; sed illi tantum praestare non possunt: allicit introrsum infinite; sed illi nec contemplatione nec amore infinite sequi possunt. Et quia vellent si possent, quodammodo in conatu sine defectu deficiunt. Hoc tamen ipsum, quod videant bonum suum esse tantum, ut illud suo amore suaque contemplatione non possint exaequare, non eos affligit, sed miro gaudio perfundit. Sicut quod mysteria divina vincant omne humanum eloquium, et omnem intelligendi subtilitatem, nobis gaudendum, et gratulandum Deo nostro potius, quam dolendum, ut S. Leo monet.

CAPUT DECIMUM.

Quomodo dicantur intrare abyssum divinitatis et se in illa perdere.

Ibid. num. 96.

Dicuntur *intrare abyssum divinitatis*, quia per contemplationem et amorem illam intrant. Qui Deum non videt, foris stat, imo procul ab illo distat, quia Deus se habet ad illum instar procul absentis. Qui illum clare videt, praesens illi est, neque haeret quasi exterius in superficie, sed intro ingreditur, et in illam abyssum se immergit, quantum potest. Amor enim intra dilectum commorari vult; quia hic ipsi est locus et domus et requies, et securitas et omnia. Eo autem plus vel minus quisque abyssum illam penetrat, eo profundius vel minus profunde in eam se immergit, quo plus vel minus luminis et charitatis habuerit.

Dicuntur *se perdere in illa abysso* secundum suum esse creatum, et rursum se invenire secundum suum esse increatum et superessentiale (ita enim passim loquuntur contemplativi) ob duas causas. Primo, quia ibi primum vident se esse instar nihili ad illud immensum pelagus essentiae, (ut Gregorius Nazianzenus loquitur) neque in illius comparatione se habe-

re quidquam amore dignum. Secundo, quia in essentia divina (cum supra omnia sit infinite elevata) cessat omne esse creatum et omnis formarum distinctio; ac proinde in essentia divina nulla cernitur creatura; quia tamen omnis natura creata ibi est secundum suum esse increatum, causale, et exemplare, omnia ibi inveniuntur praestantiori modo, quam sint in seipsis: et hoc modo dicitur quis redire ad suum exemplar, suumque esse ideale, et in illud transformari vi amoris et contemplationis.

CAPUT UNDECIMUM.

Quomodo in amore sit perpetuus circulus et motus circularis.

Ibid. n. 97. et 98.

Sicut sol e coelo lucens illustrat inferiora, et per lumen excitat in illis calorem, qui ea sursum versus solem trahit, ita Deus, qui est sol mundi spiritalis, in mentes subjectas infundit lumen sapientiae, et per hoc lumen excitat calorem amoris, quo mentes sursum trahuntur, et Deo conjunguntur.

Hoc modo juxta S. Dionysium (de divinis nominibus c. 4. p. 1.) in amore est perpetuus circulus, et motus circularis. Ex divina enim

luce procedit lumen in mentem creatam; ex lumine procedit amor: hic rursus mentem in Deum trahit, eamque illi unire, et in illum transformare conatur, quasi volens creaturam trahere in suum principium, unde processit.

Potest etiam hic circulus seorsim in utroque actu considerari. Ex Deo enim procedit lumen; ex lumine visio vel cognitio, qua rursus mens in Deum veluti reflectitur. Simili modo ex summo bono et pulchro, per lumen gloriae clare viso in coelis, vel per lumen contemplationis hic in terris cognito, procedit amor in mentem, qui eam rursus in Deum trahit. Itaque est hic perpetua veluti a Deo egressio, et perpetua in illum regressio.

CAPUT DUODECIMUM.

Conclusio.

Vides nunc, et quasi manu tangis, quisquis es mysticae hujus theologiae amator admiratorque, non esse volentis neque currentis, sed solius miserentis Dei, qui ubi vult spirat, ad sublimitatem istam rapi. Tantae rei, qui vult, praecepta tradat, quibus cum discipulos suos instruxerit, vix limen quod ingrediantur, ostenderit. Quis enim ejus se rei magistrum profiteatur, quam solus

ille Spiritus, qui spirituum omnium creator est, divino suo illapsu manifestare potest? Ille est, qui in mortali hac vita terrestres facit Angelos, quibus aeternae suae beatitudinis dulcedinem, paterna quadam benignitate praelibandam familiariter exhibet. Disponere quidem se ad hoc homines possunt rerum terrenarum despicientia, passionum animae edomatione, totius sensualis hominis assidua mortificatione, ut tandem sibi mundoque mortui rerum omnium, quae Deus non sunt, imagines animo excludant, eumque, si is id dignetur, solum admittant. Sed ille, cui soli in animas imperium est, et qui de stercore elevat pauperem, efficere debet, ut cum principibus populi sui ad divinas epulas mortalium mentes adhibeantur. Auctor tamen noster, coelestis hujus ambrosiae quasi praegustator, nobis divinas hasce considerationes praelibat; in quas si attentum animum immiserimus, sperandum omnino est fore, ut pater luminum, a nobis inchoatas de suis perfectionibus cogitationes affectionesque, ad sublimem contemplationem benigne sit elevaturus. Age igitur quisquis es, deliciare in Lessianis hisce saporibus et affectibus, quando et quantum placet. Modo Deum, ut primum omnium principium, *submisse adora. Ut* creatori, *impensas grates refunde. Ut* conservatorem, *ex animo*

lauda. Ut infinito, *intime congratulare. Ut* incomprehensibilem, *attonitus admirare. Alias Deum licet* invisibilem, *tibi siste praesentem. Licet* ineffabilem, *eloquere et zelare. Licet* immortalem, *mortalis concupisce. Licet* altissimo, *totus conjungere. Licet* immensum, *amplectere. Nova autem vicissitudine, in illo* bono increato *sit bonum tibi esse. In illa* dulcedine *conquiesce. In illa* pulchritudine *suspensus haere. Illam* sanctitatem *aemulare. In illam* puritatem *transformare. In illa* immutabilitate *persiste. Illum* patrem futuri saeculi *ama. Illa* beatitudine *fruere. His immorare, in his esto, et cum voles, ab esse tuo creato defice, ac in esse tuum increatum et superessentiale, quod in idea tua, quam in divina essentia et sapientia ab aeterno habes, transi: tunc teipsum esse invenies unum cum Deo, unam essentiam, unam vitam, unam lucem, unam beatitudinem, unum spiritum, juxta id Apost. Joannis:* Quod factum est, in ipso vita erat. *Et cum iterum voles, in* immensitate *illius, velut amplissimo oceano, te immerge ac perde. In* infinitate, *quae totam essentiarum omnium multitudinem eminenter complectitur, ad nihilum te redige. In* bonitate *colliquesce. Ad* invisibilem *lucem perstringere caligine. In* altitudine, *qua super te elevatus is est, qui intra te est, solitu-*

dinem obstupesce. Denique in illius pulchritudinem, majestatem et beatitatem *ita rapere, ut teipsum non amplius sentias, aut nil ultra velis, praeter solum Deum, in quem tibi transformatus videare.*

CONSIDERATIONES VIAE UNITIVAE,

PRO PERFECTIS.

Documentum.

Perfectis congruere potest adhortatio Tridentini Sess. 6. cap. 16, *cui titulus* de fructu justificationis; *ubi sic monet:* Hac igitur ratione, *per viam nimirum purgativam, et illuminativam supradictam,* justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive ammissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: (1. Cor. 15.) Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. *Deinde confirmat:* Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. (Ad Heb. 6.) *Et paulo post:* Atque ideo bene operantibus usque ad finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, etc.

Unde colligo duo haec in praesentia perfectis, juxta Tridentinum et Apostolum, proponenda: in

primis abundantiam actuum bonorum; deinde aspirationem ad beatissimam Dei fruitionem, et laborum omnium optatissimam quietem. Ceterum ad utrumque consequendum, auxilio erunt sequentes cum variis virtutum maximarum affectibus considerationes.

CONSIDERATIO I.

De Deo, quatenus est primum rerum omnium principium.

Affectu infimae adorationis.

Deus dicitur *primum principium* respectu omnium et singularum creaturarum. Omnis enim res creata, quantumvis a multis causis dependeat, (sicut patet in plantis et animalibus, et rebus arte factis) ultimo tamen reducitur in illum, tanquam in primam omnium causarum causam.

Dicitur autem *primum principium*, 1. quia *antiquissimum.* Nihil enim ante ipsum, aut cum ipso ab aeterno fuit, quod sit causa rerum; sed quaecunque sunt aliae rerum causae seu principia, sunt infinito tempore posteriora.

2. Quia primum *dignitate*, utpote supremum, cum nihil supra ipsum esse possit, a quo ipse potuerit accipere ut esset rerum causa, nemo

illi vim faciendi contulit; nemo modum faciendi ostendit, aut ideam exhibuit; nemo suasit ut faceret; nemo finem proposuit; nemo juvit, aut cooperatus est: sed haec omnia a seipso habuit, et per se praestitit. Ipse ex se habet infinitam potentiam, quidvis extra se, et intra se fabricandi; ipse a se omnem artem et sapientiam, et ideam omnis operis conceptibilis; ipse a se omne consilium et inclinationem ad opus condendum habet; ipsemet est finis totius operis: ipse solus per se, nemine cooperante, aut materiam subministrante, sine ullis instrumentis, omnia fecit.

3. Dicitur *primum principium*, quia omnium principiorum ipse est principium, et omnium causarum causa; idque triplici modo: nimirum ut *efficiens*, ut *finis*, ut *exemplar*. Cum enim sint quinque causarum genera, materia, forma, efficiens, exemplar, finis; ipse triplici modo jam dicto omnium causarum est causa et principium.

Rerum enim corporalium *materia* suam speciem et indolem, suam proportionem, ordinem et aptitudinem ad *formam* recipiendam, et ad aliquid tertium simul cum illa constituendum, ab ipso habet.

Omnis quoque *forma* rei corporeae suam

speciem, et ordinem essentialem ad materiam certo modo dispositam, ut ei substantialiter uniatur, ab ipsius sapientia et potentia accepit. Omnis proportio et consensio, mutuus ille amor, mutua penetratio, connexio, cohaesio, et complexio inter materiam et formam, inter objecta et accidentia, inter substantias et omnia illarum ornamenta, ab ipso sunt excogitata, instituta, ordinata, et omnem vim suam obtinent.

3. Omnis etiam causa *efficiens*, omnisque virtus operativa in Angelis, hominibus, animalibus, plantis, et ceteris rebus, ab ipso est instituta, formata et communicata, suamque speciem, ordinem, et modum habet. Unde est principium omnis principii, seu causae effectricis.

4. Omnis quoque *causa exemplaris*, omnisque conceptio et ars omnium artificum, qui arte aliquod opus faciunt, ab ipso est; cum ipse sit auctor omnis intellectus et illustrationis, conceptionisque intellectualis.

5. Denique ipse est auctor omnis *causae finalis;* quatenus omnis finis quem homo vel Angelus (qui soli proprie ob finem agunt) intendit, suam bonitatem, suavitatem, commoditatem et excellentiam, ob quam appetitur, ab ipso habet. Similiter omnis finis, ob quem

reliqua omnia operantur et agunt, ab ipso est institutus. Itaque ipse est *principium omnis principii*, supra omne principium, et causa omnis causae supra omnem causam. Unde saepe a Dionysio vocatur *supra principiale principium:* quibus verbis non tantum significatur ipsum esse principium omnium principiorum; sed modum ipsius causandi esse longe altiorem, et omnino independentem ab omni alio principio.

6. Quia cum omne illud principium et omnis causa secundum suum esse, et secundum omnem causandi rationem, ab ipso essentialiter dependeat; ipse tamen dependet a nullo, sed est principium omnium, omnino independens, infinite supra omnia principia elevatum.

Itaque *ex ipso*, *per ipsum*, et *in ipso sunt omnia*, ad Rom. 11. *Ex ipso*, quia ex seipso, tamquam originali seu radicali omnium idea, omnia ab aeterno mente concepit. *Per ipsum*, quia solus, nemine adjuvante, omnia in tempore condidit. *In ipso*, Graece, *propter ipsum*, vel *ad ipsum*, quia ipse omnium finis, cum ad ejus gloriam condita sint omnia.

PRECATIO.

Ad Deum ut rerum omnium principium.

Ex lib. 3. *de Perfect.* cap. 4.

Tu principium absque omni principio. Tu omnium principiorum in omni genere, specie, individuo, fundamentale principium.

Tu omnis motionis tam spiritalis quam corporalis prima et suprema origo. Nihil enim fit visibiliter in hac totius creaturae veluti amplissima republica, quod non ab invisibili aula summi imperatoris, secundum ineffabilem distributionem donorum et gratiarum, praemiorum et poenarum, bonorum et malorum, et ceterarum hujus vitae vicissitudinum, vel jubeatur, vel permittatur.

Apud te rerum omnium mutabilium immutabiles sunt rationes, et omnium temporalium aeternae stant origines. Semel ante saecula omnia statuisti de omnibus, semel dixisti; et ex vi hujus statuti promuntur et dispensantur saecula, et quae per saeculorum decursum suis momentis et locis in lucem veniunt. Ordo temporum apud de sine tempore est; nec aliqua tibi sunt nova, qui jam ab aeterno fecisti omnia quae futura sunt. *Fecisti*, inquam, in praedestinatione tua, in decreto tuo jubente

vel permittente, et in praesentia tua ineffabili omnia intuente ut praesentia.

Apud te est omnis boni plenitudo, praeexistens et anticipata ante omnia saecula, cui nulla accessio, nulla fieri potest detractio. Simul habes ab initio quidquid per infinitum saeculorum decursum accedere potest; nec quidquam potes amittere, quia per essentiam tuam habes, et es omnia.

Hoc primum, hoc postremum a te submississime flagito, ut prima mea in rebus omnibus cogitatio incipiat a te, et postrema finiatur in te. Tu sis principium meum; tu sis finis meus. Tu sis mihi in omnibus Deus meus, et omnia. Amen.

CONSIDERATIO II.

De Deo creatore.

Affectu grati animi.

Creator dicitur: 1. quia sua infinita sapientia ab aeterno infinitos mundos cum omni ornatu et omnibus rebus ad singulos pertinentibus distinctissime, et cum infinita luce concepit, et in mente sua formavit; et ex infinitis, qui menti ipsius objiciebantur, hunc mundum, relictis ceteris, libere elegit; et ab aeterno firmiter constituit illum, cum suis Angelis, et

duobus primis hominibus, reliquoque apparatu, post infinita saecula, in certo temporis puncto, et sex dierum sequentium intervallo, et in definito immensitatis spatio creare, formare, disponere, perficere; omnium rerum mensuris, formis, viribus, partibus distinctissime et immutabiliter mente conceptis, descriptis, ac definitis.

2. Quia ex vi illius aeterni decreti, post infinita saecula, in puncto temporis, et spatio definito, mundum ex nihilo, infinite infra se, solo verbo potentissime condidit, et conditum, eodem influxu mirabiliter continuato, in eodem spatio immobiliter conservat, et continet in sua natura ac statu in omnem aeternitatem: cujus influxus in res omnes adeo potens est, ut nihil possit perire, nisi ipse suum influxum subtraxerit; quod nunquam facit, nisi aliqua alia causa id postulaverit: ut cum ratione peccati subtrahit influxum, quo conservabat donum gratiae habitualis; vel ad praesentiam contrarii (ut hoc in statu mutabili esse possit actio et passio) subtrahit influxum quo conservabatur contrarium; vel pereuntibus per mutuam actionem dispositionibus necessariis, subtrahit influxum quo conservabatur anima plantae, vel animalis, etc.

Multa sunt in hoc opere admiratione digna. Primo, quod decretum, cujus vi conditus est mundus, infinito tempore antecesserit executionem, nec nisi post infinita saecula secuta sit mundi creatio. Secundo, quod sicut Deus mundum in hoc temporis momento, et in hoc spatio condidit, ita potuisset in quovis temporis infinito puncto, et spatii immensi intervallo ipsum condere. Tertio, quod in Deo per tantam molitionem nulla facta sit mutatio. Quarto, quod res tam multae et variae, tam firmae et solidae, tam magnae et validae, repente ex nihilo extiterint. Ubi etiam advertendum est dupliciter creationem spectari posse. Primo, ut est quidam ascensus vel eductio rei a non esse ad esse, quasi antea lateret in suo nihilo, deinde extraheretur omni potentia Conditoris ad esse. Secundo, ut est quidam descensus vel emanatio rei ex omnipotentia Conditoris (ubi antea eminenter, tamquam in radice, et ut in idea, continebatur) in suum esse formale et actuale; sicut lumen dicitur emanare a sole, calor ab igne, species visibiles ab objectis, imago ab arte artificis, etc. Omitto alia multa, quae accurate consideranti possunt facile occurrere.

PRECATIO.

Ad Deum creatorem.

Ex lib. 9. *de Perfect.* cap. 5.

O quam suavis et benignus est, Domine, in omnem creaturam spiritus tuus! Tu enim cum nullius indigeres, tibi ipse sufficientissimus, omnia ex nihilo condidisti, ut singulis, pro captu cujusque, bonitatis tuae dulcedinem, et pulchritudinis tuae specimen impertires. Non commodi aut utilitatis tuae causa ea fecisti, sed ut ipsis esset bene, ut ipsa pro modulo suo de bonis tuis participarent, et benignitatis tuae gustarent fructum.

Itaque a te omnia ex abysso sui nihili excitantur, accipiunt esse adeo omnibus amabile, accipiunt speciem et pulchritudinem, appetitum boni et fugam mali, vires et functiones, impetus et modus, situm et ordinem, perfectionem et terminum. Singulis enim donas, quod cuique commodum et amabile. Animantibus etiam sensum boni et jucundi multiplicem largiris et beatitudinis quandam umbram et extremam resonantiam.

Hinc omnia te laudant, tacitisque vocibus tibi sacrum hymnum pangunt, quo tuam potentiam, sapientiam, bonitatem, et providentiam

clarissime celebrant. Coeli enim *enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Sed longe excellentius in nostro genere haec benignitas tua elucet. Tu enim nos ad imaginem et similitudinem tuam condidisti, vultus tui charactere nobis impresso, intellectu, memoria et voluntate instruxisti, quibus capaces divinitatis, gloriae, et beatitudinis tuae effecti sumus; divinis praesidiis et ornamentis ad haec tanta bona promerenda et consequenda cumulasti; Angelos in tutelam et directionem assignasti; denique totum mundum, cum omnibus bonis et opibus suis, in domicilium et solatium nostrum fecisti, et nobis tradidisti. Quid his beneficiis majus, hac benignitate admirabilius cogitari possit? praesertim cum eo consilio haec omnia feceris, ut nos in divinum statum eveheres, et beatitudinis tuae participes efficeres.

Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Amen.

CONSIDERATIO IV.

De Deo conservatore rerum omnium.

Affectu laudis divinae.

Conservator dicitur, 1. quia rebus omnibus, pro cujusque capacitate et gradu, tribuit necessaria adminicula, quibus se conservent, tum ab interitu, tum ab omni nocumento: unde videre est non solum in hominibus, sed etiam in omnibus animalibus, quantumvis vilibus. Omnibus enim insita a conditore quaedam industria ad prosequenda sua commoda, et vitanda noxia. Idem cernitur in plantis, et rebus inanimis, etiam in elementis; etsi in rebus inanimis obscurius.

2. Quia assiduo et substantifico influxu in res omnes influit, ut earum essentia conservetur; sine quo influxu statim extinguerentur, evanescerent, et in suum nihilum relaberentur, quantumvis per se videantur magnae, firmae, solidae. Singulae enim res creatae, etiam Angeli et coeli, nihil sunt aliud quam terminus operationis et influxus divini, non extrinsecus, sed intrinsecus; sicut lumen diffusum per mundum est terminus illuminationis seu operationis solis. Unde nullam habent soliditatem, nisi ab influxu divino, qui pendet a libera vo-

luntate Dei, qua velit, vel non velit, eum influxum suum continuare. Hinc fit, ut nulla res, in quam Deus statuit suum influxum continuare, possit perire, aut vi ulla interimi.

Porro hic influxus nihil est aliud, quam quaedam continuatio creationis, vel operatio creationi aequivalens. Unde, ut sancti Patres affirmant, *non minoris virtutis est mundum conservare, ne in nihilum relabatur, quam eundem ex nihilo producere.*

3. Quia statuit mundum, Angelos, et homines in aeternum conservare, influxum suum substantificum immutabiliter continuando.

PRECATIO.

Ad Deum conservatorem.

Ex lib. 10. *de Perfect.* cap. 7.

Figmentum tuum sumus omnes, et opus manuum tuarum; tu plastes et fictor noster: quidquid sumus, possumus, habemus, a te accepimus; tua sunt omnia, qui omnium es artifex et inventor. Omnia de nihilo extraxisti, ex profundo tenebrarum, et abysso non-entis. Suspendisti ea in esse, in lumine vultus tui, ut singula juxta species et formas suas fulgeant mentibus nostris, tuamque majestatem

insinuent. Sed quia suopte nutu et ex se, in nihilum, unde educta sunt, propendent, non satis est id semel esse factum, sed assidue manu tua teneri, et substantifico influxu tuo foveri opus habent, ut beneficium, quod semel, cum esse inciperent, acceperunt, omnibus momentis rursus accipiant. Sicut pondus in aëre suspensum assidue teneri debet, et si vel ad ictum oculi dimittatur sibi, deorsum ruit: ita tota creaturarum universitas, omnipotenti dextera tua continue in esse et natura teneri debet; et si vel ad momentum laxaveris manum tuam, statim in nihilum suum corruet, et velut umbra peribit.

Igitur benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula. Sed quare? Non tantum quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt: verum, quia continuo dicit, et continuo fiunt; quia continuo mandat, et continuo creantur. Benedicite ergo centesies millies omnia creata Domino; quia centesies millies omnium creator est Dominus. Amen.

CONSIDERATIO IV.

De infinitate Dei.

Affectu congratulationis, et gaudii de bonis Dei.

Deus ratione essentiae est *infinitus*, non solum in aliquo genere perfectionis, ut in ratione potentiae, sapientiae, sanctitatis, justitiae, misericordiae, etc. sed *absolute* in omni genere perfectionis; atque adeo in toto genere entis. 1. Tamquam causa foecunda, in qua tota entis amplitudo (quae infinitas omnium generum species, et singularum specierum infinita individua complectitur) eminenter existit, ac proinde omne id, quod intellectu angelico, vel etiam divino per modum entis concipi potest. Unde a S. Gregorio Nazianzeno Deus dicitur esse *pelagus essentiae immensum.* Ibi infiniti mundi, infinitae species Angelorum sine fine sursum excurrentium, infinitae nationes populorum, infinitae species animalium, infinitae species ac varietates plantarum, metallorum, lapidum, gemmarum, infinitum aurum et argentum, infinitae magnitudinis uniones et omnis generis lapides pretiosi, infinitae species colorum, picturarum, symphoniarum, odorum, saporum et delectabilium carnis sensusque tangendi. Ibi

infinitae regiones et urbes, infiniti campi et silvae, infiniti agri et horti, infiniti montes et fontes, infinita maria et flumina, infinita palatia et templa: infinita omnis generis supellex, omnem superans aestimationem. Denique quidquid pretiosi, pulchri, splendidi, delectabilis mente concipi potest, ibi continetur et possidetur copia infinita. Haec enim omnia et infinita alia, quae nulla mens creata concipere queat, ita in divina essentia, sapientia et omnipotentia existunt, et lucent menti divinae, ut unico nutu voluntatis suae possit ea in quantavis multitudine et magnitudine, foris producere. Unde qui Deum possidet, et illa omnia possidet, illisque in Deo altissimo modo fruitur.

2. Dicitur *absolute infinitus*: quia ipse solus per se, omnibus illis infinitis, quae in ejus essentia, sapientia, potentia, eminenter continetur, etiamsi actu foris existerent, est infinite excellentior, sublimior, major, pulchrior, amabilior. Imo omnia illa simul sumpta et considerata, sunt instar nihili in comparatione divinae excellentiae. Unde qui Deum possidet, eoque fruitur, incomparabiliter magis gaudet ejus solius possessione, quam si omnia illa extra Deum possideret, et omnium illorum pulchritudine, splendore, gloria, commoditate frueretur. Deus

enim illi est instar omnium, et infinite amplius quam illa omnia.

Ex eo quod *Deus sit infinitus secundum essentiam*, consequens est, ut ipse quoque necessario sit infinitus secundum omnem rationem perfectionis, quae ipsi competit: nempe secundum magnitudinem, potentiam, sapientiam, sanctitatem, benignitatem, misericordiam, justitiam, pulchritudinem, etc. Ratio est 1. quia essentiae infinitae non congruunt ejusmodi perfectiones nisi in gradu et perfectione infinita. Debent enim esse commensae et adaequatae ipsi essentiae, ex qua nostro modo concipiendi quodammodo videntur manare. 2. Quia per unicam simplicissimam formam omnino infinitam et illimitatam Deo competunt istae perfectiones: non enim sunt verae proprietates ex essentia promanantes; sed sunt ipsamet essentia divina per se subsistens, a nobis inadaequate concepta, ac proinde una simplicissima deitatis forma.

Quomodo autem singulae perfectiones in suo genere duplici ratione sint infinitae, nempe intensive, seu quasi intensive, et objective, et utroque modo Deus illa a se, et non ab aliquo alio habeat, alibi explicatum est.

PRECATIO.

De infinitate Dei.

Ex lib. 1. *de Perfect.* cap. 7.

Domine Deus meus, Deus magne et terribilis, Deus immensae majestatis! Tu pelagus infinitum essentiae, bonitatis et beatitudinis, omne esse et omne bonum in te concludens, et ab aeterno eminenter anticipans, et praehabens, tamquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse superessentiale omnium quae sunt, et quae non sunt: sine quo non solum nihil potest esse actu, sed nec potestate, nec ullam habere rationem conceptibilem, vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium conditor et formator, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium aevum, duratio, terminatio, ordinatio, connexio, concordia, consummatio. In te omne bonum Angelorum pariter et hominum, atque totius naturae, quae est, et quae non est. In te omnis gloria et dignitas, omnes divitiae et thesauri, omnes voluptates et consolationes, omnes deliciae, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tu Deus meus et omnia mea, Deus cordis mei et pars mea, Deus in aeternum.

CONSIDERATIO V.

De incomprehensibilitate Dei.

Affectu admirationis.

Dicitur *incomprehensibilis* quadruplici ratione, *1. intellectus;* quia nulla creatura, etiam cum lumine gloriae, quantumvis magno, potest illum comprehendere, hoc est, ita illum cognoscere, ut nihil ipsius lateat intuentem, seu cognoscentem: semper enim infinita, imo infinities infinita restabunt, quae distincte non cognoscentur, seu concipientur, nempe infinitae rerum notiones et conceptiones, infinitae rerum complacentiae, ut ad res possibiles terminantur, infinita decreta, praesertim conditionata, infiniti modi, quibus essentia divina est imitabilis. Et quamvis haec omnia a mente creata in Deo distincte viderentur per lumen aliquod gloriae, quale est lumen animae Christi; (quod omnino est impossibile) adhuc tamen Deus proprie, et perfecte non comprehenderetur: quia illa cognitio claritate non adaequaretur essentiae divinae, nec per eam cognosceretur Deus tam perfecte et clare, quam est cognoscibilis; sed infinite ab hac claritate deficeret, cum sit finita. Unde ei non adaequaretur, nec esset perfecte comprehensiva;

sed solum secundum quid: nempe quoad multitudinem objectorum, non quoad claritatem et perfectionem cognitionis.

Dicitur etiam *incomprehensibilis intellectu*, alia ratione: nimirum, quia nullus intellectus creatus quantumvis sublimis, potest viribus naturae illum attingere, ita ut illum clare videat aut cognoscat, sicut in se est; sed quantumvis mente ascendat in altum, semper infinite aberit ab ejus clara cognitione.

2. Est *incomprehensibilis affectu:* quia nulla mens creata potest illum amare, honorare, aestimare, laudare, revereri, quantum dignus est. Sed ipse omnem amorem, honorem, aestimationem, laudem, reverentiam omnis creaturae, etiam omnium Beatorum, infinite superat. Ecclesiastici 43, v. 30 et sequentibus.

3. Est *incomprehensibilis loco:* quia cum sit immensus, nullo spatio, quantumvis magno, concludi potest.

4. Est *incomprehensibilis tempore:* quia cum sit aeternus, est ante omnem durationem conceptibilem, et quidem saeculis infinitis. Similiter est post omnem durationem conceptibilem saeculis infinitis.

PRECATIO.

Ad incomprehensibilitatem Dei.

Ex lib. 2. *de Immortalitate animae,* cap. ult.

In te, et ex te, et per te, et ad te sunt omnia, et tu supra omnia. Omni enim magnitudine tu diffusior, omni aeternitate antiquior, omni potentia fortior, omni luce clarior, omni pulchritudine gratiosior, omni voluptate dulcior, omni honore sublimior, omni secreto interior, omni altitudine celsior, omni profundo inferior. Tu summus simul et optimus, potentissimus et benignissimus, misericordissimus et justissimus, secretissimus et praesentissimus, pulcherrimus et fortissimus, stabilis et incomprehensibilis, immutabilis et omnia mutans: nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, et in vetustatem deducens superbos, et nesciunt; semper agens, et semper quietus, omnia creans, nutriens et perficiens, omnia portans, implens et protegens, omnibus superior et inferior, interior et exterior: superior per gubernationem, inferior per sustentationem: interior per penetrationem, exterior per circumdationem.

Quis sicut Dominus Deus noster, magnus et laudabilis nimis? Tu neque loco terminari, ne-

que tempore circumscribi, neque intellectu capi, neque affectu prehensari, neque ab ullo hominum vel Angelorum satis aestimari, satis amari, satis laudari potes. Quis sicut Dominus Deus noster?

CONSIDERATIO VI.

De invisibilitate Dei.

Affectu praesentiae divinae.

Immortalitati conjungit Apostolus *invisibilitatem*, cum ait: *Regi saeculorum immortali, et invisibili, soli Deo, honor et gloria.* 1. ad Timoth. 1.

Dicitur *invisibilis* 1. quia nullis oculis corporeis videri potest, nimirum prout est in se. Quia res omnino spiritualis, est extra objectum visus corporalis.

2. Dicitur *invisibilis*, quia a nullo intellectu creato vi luminis naturalis clare, ut est in seipso, videri potest, neque ullus intellectus est possibilis, qui id viribus naturae possit. Hoc modo invisibilis est omni creaturae, et soli sibi visibilis ac notus. Et sic videtur Apostolus Deum vocare *invisibilem*, loco jam allegato.

3. Dicitur *invisibilis*, quia etsi a mente creata per lumen gloriae aliquo modo clare videri possit, non tamen visione comprehensiva,

qua nihil lateat videntem. Omnis enim visio Beatorum infinite abest ab ipsius visione comprehensiva, et ipse infinite omnem illorum visionem superat. Hoc modo quidam Patres dicunt Deum omni creaturae invisibilem et ignotum, et sibi soli notum ac visibilem.

PRECATIO.

Ad invisibilitatem Dei.

Ex lib. 2. *de Perfect.* cap. 4.

Ut quid errat anima mea, Domine Deus, quaerens te exterius, qui es interius; et quid multum laboro quaerens te extra te, cum tu habitas in me, si tantum desiderem te! Circumivi vicos et plateas civitatis hujus mundi quaerens te, et non inveni; quia male quaesivi te foris, qui es intus. Ah! quoties misi nuntios omnes et sensus exteriores ut quaererem te, et non inveni, quia male quaerebam te: tu enim intus es, et tamen ipsi ubi intraveras, nesciebant.

Converte, obsecro, cor meum ad te introrsum in fundum animae meae, ubi silente creaturarum strepitu, et importunarum cogitationum cessante tumultu, tecum commorer, te semper praesentem cernam et amem et venerer, et vocem tuam audiam, tibi miserias exilii mei

exponam, et solatium apud te inveniam. Nunquam praesentiae tuae me capiat olivio, lux mea, dulcedo animae meae: nunquam obliviscar tui, sed semper quocunque me converto, mentis meae oculis obverseris. Totus ubique praesens es, et radios praesentiae tuae diffundis per singula. Sicut enim invisibilis anima in hominibus se foris aperit per motus et operationes, quae exterius parent in corpore, sic ut ipsius praesentiam clare cognoscamus: ita tu, qui omnium es vita supervitalis, et omnium esse superessentiale, te satis manifeste prodis per ipsam creaturarum speciem, in qua elucet admirabilis sapientia et potentia tua. Quid enim aliud est omnis creatura, quam impressio quaedam et imitatio aeternorum conceptuum mentis tuae? Tu enim sigillum primaevum et universale, creatura vero veluti forma ex impressione sigilli resultans: non in solida aliqua materia, quae detracto sigillo valeat speciem retinere sed quasi in fluxa et evanida, in nihilo. Unde ne ad momentum quidem constare potest, si sigillum absit: sed assidua praesentia et impressione est opus. Agnoscam igitur praesentiam tuam in omnibus, qui in singulis delitescens, esse et speciem omnibus assidue suppeditas. *Amen.*

CONSIDERATIO VII.

De ineffabilitate Dei.

Affectu amoris et zeli.

Ineffabilis dicitur, 1. quia nullis verbis, nullis sermonibus exprimi potest prout in seipso est; etiamsi tot libri scribantur, quot etiam totus mundus capere non posset.

2. Quia non solum nullis verbis externis repraesentari potest; sed etiam quia nulla mens creata absque lumine gloriae potest illum, ut est in se concipere, ac proinde nec verbis internis illum sibi vel aliis repraesentare. Omnis enim conceptus mentis creatae quo illa Deum absque lumine gloriae concipit, infinite abest a genuina ejus repraesentatione. Unde infinite melius est unum verbum, quo Beati Deum sibi in mentibus suis repraesentant, et exprimunt, quam omnis sapientia hominum et Angelorum. Hoc modo non est ineffabilis Beatis, sed nobis, et angelicae naturae, extra beatitudinis statum.

3. *Ineffabilis* dicitur, quia adeo est sublimis, infinitus, et immensus, ut neque a Beatis per lumen gloriae adaequate, seu comprehensive ullo verbo mentis exprimi, aut repraesentari

possit, sed solum a seipso: et hoc modo est ipsis etiam Beatis ineffabilis.

PRECATIO.

Ad ineffabilitatem Dei.

Ex lib. 2. *de Immortalitate animorum*, cap. ult.

O ineffabilis Deus, quis potest de te loqui, et quis potest silere de te? Da aliquid fari, Deus meus, qui linguas infantium facis esse disertas, et aperis ora mutorum.

Quam mire et benigne nobiscum agis, o infinita majestas! *Tu solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos.* Tu in perduelles, qui leges tuas proculcant, nomen tuum blasphemant, providentiam pernegant, Ecclesiam oppugnant, copiose thesauros tuae bonitatis effundis, omnibus hujus vitae copiis eos locupletans, et ad poenitentiam, ut etiam aeternorum participes fiant, invitans. Quaeris nos, cum nihil desit tibi. Amas, nec aestuas: zelas, et securus es: irasceris, et tranquillus es: poenitet te, non doles: opera mutas, et non mutas consilium. Nunquam inops, et gaudes lucris: nunquam avarus, et usuras exigis. Reddis debita, nihil debens; donas debita, nihil perdens. Et quid dicimus, Deus meus, vita

mea, lumen et dulcedo cordis mei? quid dicimus, cum de te loquimur; qui supra omne eloquium ineffabilis, supra omnem mentem incomprehensibilis? Sed hoc ipsum de te dicendum et cognoscendum erat, te omni eloquio et cogitatione esse praestantiorem. Vae omnibus qui ignorant te! Vae, vae omnibus, qui cum norint te, non serviunt tibi, non servant sanctissimas leges tuas! Vae, vae, vae omnibus, qui oppugnant, vel contemnunt (ut faciunt haeretici et atheïstae) salutarem doctrinam, quam per Filium revelasti, et per sponsam ejus Ecclesiam Catholicam nobis proposuisti! Tu qui fons es omnis boni, lucem miserationum tuarum super miseras istorum omnium mentes effunde, ut advertant caecitatem et errores suos; ut videant aeternae salutis discrimen, quod certissime illis impendet; ut amplectantur lucem doctrinae tuae, quam per Ecclesiam omnibus proponis, et sic illuminati tuam majestatem ac providentiam agnoscant, timeant, ament, laudent, venerentur, et hic pro tempore hujus vitae, et postea in omnem aeternitatem. Amen.

CONSIDERATIO VIII.

De immortalitate Dei.

Affectu aspirantis ad bonum immortale.

Immortalis dicitur, 1. quia cum ita sit simplex substantia per se subsistens, non potest ullo modo mori per dissolutionem, sicut homo moritur, quando anima solvitur a corpore. Verum haec immortalitas est Deo communis cum omnibus naturis simplicibus per se subsistentibus: quae quia simplices sunt, non possunt dissolvi in partes essentiae; et quia per se subsistunt, non pendent ab aliquo subjecto, ad cujus interitum vel alterationem debeant perire, sicut omnes animae seu vitae tam animalium quam plantarum, corpore destructo debent perire, quia separatae a subjectis, nullam possunt habere functionem, ac proinde illis non est debita conservatio.

2. Dicitur proprie *immortalis*, quia natura sua talis est, ut nullo modo possit desinere esse, aut amittere vitam suam. Cetera vero omnia natura sua talia sunt, ut omnem vitam suam, et naturam, et totum esse suum possint amittere, unde Apostolus ad Timoth. 6. *qui solus habet immortalitatem.* Ratio est: quia cum Deus sit ens primum, summum, et fundamen-

tum omnium, non potest ullo modo esse dependens ab aliquo alio, ac proinde non potest desinere esse, aut amittere vitam per subtractionem influxus, seu dependentiae ab aliqua causa. Itaque natura sua est omni modo immortalis. Cetera vero omnia (etiam Angeli et Beati, quorum natura et vita videtur maxime immortalis) cum natura sua dependeant ab assiduo Dei influxu, quo ipsa cum tota sua vita naturali et beata creantur, formantur et conservantur, etiam natura sua talis sunt conditionis, ut possint amittere vitam utramque, et desinere esse, Deo, qui illa libere conservat, influxum suum subtrahente. Unde Angeli, etsi a philosophis et theologis scholasticis absolute dicantur natura sua immortales, eo quod nihil in se habeant quod possit illis mortem adferre, et quia nulla res creata potest illos perimere, cum sint naturae simplices per se subsistentes: tamen a SS. Patribus dicuntur natura sua *esse mortales*, et sola Dei benignitate ac gratia immortales. Ubi *gratiam* vocant liberum et gratuitum Dei influxum, quo naturam eorum conservat: qui tamen, quia naturae eorum est debitus, non est supernaturalis, sed naturalis. Dicitur autem *gratuitus*, quia non est ex meritis ipsorum, sicut et crea-

tio gratuita est. Itaque sunt natura sua immortales respectu potentiae creaturarum, et sunt natura sua mortales comparatione ad potentiam divinam.

3. Dicitur *immortalis*, quia prorsus immutabilis: ita ut non solum non possit amittere vitam, sed nec quidquam aliud eorum quae ipsi insunt; non enim potest ei quidquam detrahi, vel de majestate et magnitudine, vel de gloria et gaudio, vel de luce et sapientia, vel de pace et tranquillitate animi, vel de affluentia bonorum omnium. Nihil etiam in consiliis et decretis ejus immutari intrinsecus in mente ipsius potest. Quod si vel minima immutatio in ipsum cadere posset, jam non esset immortalis quoad omnia; nam in omni mutatione, qua aliquid amittitur, veluti mors quaedam, secundum id quod amittitur, intervenit.

PRECATIO.

Ad immortalitatem Dei.

Ex lib. 7. *de Perfect.* cap. 3.

O quando mortale hoc induet immortalitatem, et corruptibile hoc incorruptionem? Vere corpus quod corrumpitur aggravat animam, nisi tu, Domine, subleves nos; et spiritus tuus promptus

erigat hanc carnem infirmam. Acue, Domine, desiderium meum ad immortalia bona, et animum redde rebus infimis altiorem.

Trahe mentem meam ad te, o bonitas immensa: adstringe eam tibi supra creata omnia vinculo insolubili, nexu amoris aeterno. Quid enim quaeram aut optem extra te, qui omnis boni es plenitudo et fons et finis et suavitas, omni bono melior et excellentior? Ergo ceteris neglectis semper te cogitem et amem, tibi inhaeream, et in te commorer, te laudem et benedicam, et omnes vires animae meae, omnisque vita mea serviat tibi. Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et chara mihi sint omnia tua, et tu, Deus meus, supra omnia. Perfice me secundum altissimum beneplacitum tuum in cognitione et amore tui, et transfer me totum in teipsum, ut unus tecum spiritus efficiar. *Amen.*

CONSIDERATIO IX.

De altitudine Dei.

Affectu unionis cum Deo.

Deus dicitur *excelsus et altissimus:* 1. ut causa omnis celsitudinis et sublimitatis, quae est in rebus creatis; sive ea sit ratione loci

et magnitudinis, quo modo coeli excelsi dicuntur: sive ratione officii et dignitatis, sicut principes, reges, pontifices, excelsi sunt: sive ratione naturae, sicut Angeli, qui rebus omnibus corporalibus longe sunt excelsiores: sive ratione perfectionis et status sicut Beati, et imprimis humanitas Christi, deinde B. Virgo, Mater Christi. Omnis hujus celsitudinis ordinator, limitator, distributor ac largitor est Deus, qui omnes partes universi corporei et incorporei pulcherrimo ordine distribuit.

2. Quia ipse solus *vere sublimis et excelsus;* nam omnis celsitudo quae est in rebus creatis, ipsius celsitudini comparata, non est celsitudo, sed solum imago, vel umbra celsitudinis ipsius. Omnes enim reges et principes, imo omnes Angeli et Beati sunt servi illius et mancipia natura sua, quamvis ipse sua benignitate, per communicationem spiritus sui, eos in filios adoptarit, et nomine filiorum appellet.

3. Propriissime dicitur *excelsus et altissimus*, quia ipse et secundum essentiam suam, et secundum omnes suas perfectiones, est infinite elevatus supra omnem creaturam non solum actu existentem, sed etiam supra omnem possibilem, et mente conceptibilem, quantumvis

ea sublimis, potens, sapiens, magna, pulchra, sancta concipiatur. Unde non solum dicitur *altissimus*, quia excelsior, vel altior omnibus aliis, sed quia infinite altior, adeo ut inter supremam creaturam existentem et ipsum sint infiniti gradus specierum angelicarum sursum tendendo. Idem dicendum de gradibus beatitudinis. Unde omnis creatura quantumvis excelsa est infinito, ut sic dicam, intervallo infra ipsum locata, etsi in eodem spatio. Hinc fit ut inter creaturam et ipsum Deum sit infinitum quoddam intervallum, non distantiae loci, sed naturae seu gradus; quod mystici theologi *solitudinem* vocant.

PRECATIO.

Ad altitudinem Dei.

Ex lib. 3. *de Perfect.* cap. 4.

Ascendo spiritu, ascendo et mente super omnem altitudinem locorum, officiorum, naturarum, statuum, et te Deum meum quaero qui in altissimis habitas. Conantem me cum electis tuis ad te volare juva, Domine, et tecum rape.

Tange apicem animae nostrae radio lucis tuae, et mentem nostram trahe sursum ad te supra omnium mutabilium sphaeras, supra so-

lis annique vias, supra omnia bona creata, et vinculo charitatis insolubili adstringe tibi; ut neque mors, neque vita, neque paupertas, neque divitiae, neque gloria vel ignominia, neque voluptas vel profundum, neque ipsae inferorum portae et universa diaboli tormenta valeant eam convellere, aut a te separare. *Amen.*

CONSIDERATIO X.

De immensitate Dei.

Affectu gaudii de bonis Dei.

Immensus dicitur ratione magnitudinis et extensionis: quia ita in omnem partem, sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum extenditur et quasi diffunditur, ut nullis locorum spatiis, nullis terminis circumscribi queat: quae res est valde stupenda. Cogita extra mundum spatium mille leucarum in omnem partem extensum; adhuc ulterior est Deus. Cogita centum millia leucarum; ulterior est Deus. Cogita mille milliones leucarum; Deus ulterior invenitur. Cogita tot milliones leucarum, quot arenae in omnibus littoribus, quot guttae in omnibus aquis, imo quot pulvisculi necessarii ad implendum totum universum: adhuc Deus infinitis leucarum millio-

nibus ulterior existit, idque perfectissime et completissime, nempe in tribus personis, et cum omnibus suis perfectionibus, opibus et donis, quae in ipso eminenter continentur. Denique nullum spatium tam magnum ab ulla mente creata concipi potest, quin Deus infinite sit major, infinite extra et ultra illud in omnem partem diffundatur, non per partes, sicut aër, vel ad aliud corpus, sed per se totum, et per suas (ut ita loquar) totalitates, sicut spiritus, ita ut in puncto quolibet totius spatii sit totus, non quasi fluctuans aut mobilis, sed firmiter prorsus et immobiliter, tamquam omnium fundamentum.

Tota magnitudo universi, respectu magnitudinis et extensionis Dei, est instar unius parvae guttae ad immensitatem oceani, vel unius pulvisculi ad vastitatem totius mundi; ut insinuatur Sap. 11, v. 23, ubi dicitur: *Tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum; et tamquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram.* Imo, ut verius dicam, nulla inter Dei et universi magnitudinem et extensionem est proportio, cum magnitudo extensionis divinae infinite excedat non solum magnitudinem universi, sed etiam omnem magnitudinem ab intellectu creato conceptibilem.

Neque his obstat quod magnitudo corporalis et spiritalis non videantur posse comparari; quia etsi non possint comparari in natura, possunt tamen in ratione extensionis, ut passim philosophi et theologi tradunt de anima et corpore, de Angelis et eorum locis adaequatis. *Ratione immensitatis suae* passim in Scripturis Deus dicitur *magnus, et magnitudinis ejus non esse finis.* Convenit tamen ei appellatio haec etiam secundum alia attributa. Est enim magnus potentia, magnus sapientia, magnus sanctitate, majestate, et ceteris perfectionibus. Unde quando in Scripturis absolute magnus dicitur, intelligendum est esse magnum, immensum, et infinitum, secundum omnes perfectiones quae ei conveniunt, ut Psalm. 47. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Magnus potentia, sapientia, sanctitate, justitia, misericordia, etc. Psalm 94: *Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes Deos.* Simili modo esse infinitum, immensum, aeternum, immutabilem, immortalem, incomprehensibilem, conveniunt illi non solum ratione essentiae, sed etiam secundum omnia attributa, (quod valde considerandum est) et secundum proprietates personales.

PRECATIO.

Ad immensitatem Dei.

Ex lib. 2. *de Perfect.* cap. 4.

Magnus es, Domine, et laudabilis valde, et magnitudinis tuae non est finis: excelsior coelo, latior mari, profundior abyssis, implens omnia, circumdans omnia, et tamquam sphaeram modicam totum hoc universum palmo circumplectens. Tu sphaera incomprehensibilis, cujus centrum ubique, ambitus et circumferentia nusquam, ut quidam philosophus recte dixit, si sano sensu intellexit.

Omnia locorum spatia occupas intra et extra mundum, fundamen ipse, sedes et spatium omnis spatii extendens et substituens primo, omnium spatiorum et intervallorum tam possibilium quam realium immensitatem, tamquam prima omnium basis, cui omnia innixa. Neque enim coelum dumtaxat extendis, et hujus mundi capacissimam vastitatem: sed miro quodam modo etiam hoc ipsum spatium, in quo mundum condidisti, expandis, non alio sane intervallo quam magnitudinis tuae. Haec est prima et fundamentalis capacitas, spatiositas, seu laxitas, in qua omne aliud spatium constare debet, et cujus ratione immensum spatium crea-

tae menti est imaginabile: sicut aeternitas tua est prima et originalis duratio, omnis durationis conceptibilis fundamentum. Neque solum in immensum diffusus, intervallum subtendis et extendis immensum: sed etiam in omnibus et singulis hujus universi rebus et locis, in omnibus punctis designabilibus totus es collectus, totus completus, totus praesens, totus interior, cum universa potentia, sapientia, bonitate, ceterisque perfectionibus tuis, et cum omnibus donis et opibus tuis, quibus creaturam tuam beare et ornare potes. Lates intra singula totus, assidue omnia creans, formans, conservans, et tenens intrinsecus in luce ipsius esse, ne in suas tenebras et in nihilum relabantur, et ad te convertens per instinctum boni.

Benedicat te, Domine immensitas, et supereminens magnitudo tua magnificet te! Si anima mea per infinitum spatium diffunderetur, optaret in singulis punctis ejusdem spatii novum coelum fieri animarum laudantium te, et gaudentium de bonis tuis. Jam nunc cum omnibus illis magnificat anima mea Dominum, et utinam in aeternum! Amen.

CONSIDERATIO XI.

De bonitate Dei.

Affectu complacentiae in bono increato.

Bonus dicitur: 1. ut fons bonorum omnium; ab ipso enim descendit omne bonum Angelorum et hominum, ac totius universi, in statu naturae, gratiae et gloriae: et omne bonum creatum est tenuis quaedam participatio et exigua scintilla infiniti illius boni. Ipse est auctor omnis perfectionis ac convenientiae, ratione cujus dicitur bona alteri, cui est conveniens.

2. *Formaliter*, quia in ipso est plenitudo omnis boni conceptibilis a mente creata; adeo ut nullum bonum, nulla perfectio, nulla excellentia concipi possit, quae in ipso in summo gradu, et cum infinito excessu non contineatur. In ipso infinita lux, infinita potentia, infinita sapientia, infinita pulchritudo, infinita suavitas, infinitum gaudium, infinita gloria, infinita beatitas, infinita sanctitas, infinita justitia, infinita misericordia. Imo ipsemet est haec omnia altissimo et simplicissimo modo per simplicissimam essentiam suam.

3. Dicitur *bonus*, per excellentiam: quia ita excellenter bonus est, ut super omne bonum,

quod a mente creata concipi potest, infinite sit elevatus, nulli bonorum similis: adeo, ut omne bonum conceptibile de ipso sit potius negandum, quam affirmandum.

PRECATIO I.

Ad bonitatem Dei.

Ex lib. 7. *de Perfect.* cap. 3.

Bonus Dominus et amabilis valde, et bonitatis ejus non est finis. Non hoc aut illo modo, non hoc vel illo genere boni bonus est conditor omnis boni; sed absolute, sine principio, sine fine, sine limite, sine modo, sine mensura omne bonum anticipans, et unice complectens.

Nemo tibi id prior dedit, ut retribuas ei, et gratiam referas; sed a te ipso habes, simplex et primaeva bonitas unde omnis boni dulcedinem pro suo captu sugunt. Tu enim es ipsa boni plenitudo et universitas, omnis boni fontalis origo, cui omnia a suprema substantia creata usque ad extremam materiam omne bonum suum acceptum ferre debent. Nihil illorum per essentiam totum bonum suum obtinet; sed multis opus est, ut vel in suo dumtaxat genere, et intra limites suae naturae

sint perfecta et completa. Tu per simplicissimam essentiam, omnem excellentiam, omnem perfectionem, omnem beatitudinem, omne bonum possides, nec praeter te ipsum opus est tibi re aliqua. Illorum bonum angustum est, et finibus certi generis circumscriptum, adeo ut aliorum bona in seipsis non comprehendant. Unde et infinitis rebus nobis ad vitam opus est, cum singulae parum per se praestent. Tuum vero, hoc est, simplicis essentiae tuae bonum est immensum, redundantissimum, ad omnia per se sufficientissimum. Cum enim sis ipsa primordialis origo omnium, nihil est a quo ratio boni in te limitari aut circumscribi possit. Sicut igitur essentia tua, et potentia, et sapientia infinita est, omni carens limitatione, quia prima, quia a nullo, ac proinde non habens unde limitetur: ita etiam bonitas et perfectio tua limite caret, quia prima est, nec ab ullo pendens unde limitationem accipere possit. Omnis enim limitatio rationis per se illimitatae debet fieri a causa efficiente. Quare cum perfectiones quae in te sunt, nullam causam efficientem habeant, necesse est eas omni limitatione carere.

Si taliter bonus es, Domine, qualiter ego malus sum, cur non amo bonitatem tuam? Cur amo

guttulam, aut stillulam boni, id est, aliquam rem creatam; et non amo oceanum omnis boni, id est, creatorem meum? Modo, modo amo te, o bonum super omne bonum, in quo mihi bene complacitum est: o bonitas increata, o Deus meus, quem opto amare in perpetuas aeternitates.

PRECATIO II.

Ad eandem, ibidem.

Quanta vis supereminentis bonitatis tuae, ad cujus vel tenuem radium, vel umbratilem speciem, tanto impetu currit omnis creatura! Singula enim suum quoddam bonum appetunt, et ad illud omni conatu feruntur; quod bonum nihil est aliud quam vestigium quoddam tenue bonitatis tuae. Hoc universam creaturam trahit, hoc tantos motus in mundo excitat; quidquid enim in universa creatura movetur, quidquid agitur, quidquid operatur, boni appetitu movetur, agitur, operatur. Si umbra tenuis tanto trahit impetu, quanto trahet ipsa veritas? Illa, inquam, pulchritudo et bonitas infinita clare conspecta.

Domine, trahe me post te, nec unquam, permittas me separari a te, neque modo neque in aeternum. Amen.

CONSIDERATIO XII.

De dulcedine Dei.

Affectu quietis in Deo.

Dulcis dicitur 1. tamquam fons et causa omnis dulcedinis tam corporalis, quam spiritalis. Quidquid enim dulce, suave, amabile, et delectabile est in rebus creatis, ab ipso est, tamquam tenuis participatio immensae illius dulcedinis.

2. Quia non solum omne objectum dulce et delectabile ab ipso est, sed omnis etiam delectatio, omnisque sensus dulcedinis in Angelis, hominibus, et animalibus, ab ipso est: ipse enim facultatem animae dulcedinis et delectationis capacem finxit et formavit; et pariter formavit omne objectum delectabile, et omnem proportionem congruentiae et convenientiae, quam objectum illud habet ad illam animae facultatem, et simul illi cooperatur, ut dulcedinem objecti percipiat. Itaque ipse est causa omnis delectationis.

3. Quia in ipso est aeterna et infinita dulcedo omnium beatorum spirituum, et omnium animorum beatorum, idque duplici ratione: nempe objective, et effective. Objective, quatenus ipso fruendo et gustando, summo gaudio toti per-

funduntur. Effective, quatenus ipse est auctor luminis gloriae, quo Deum clare vident, et habitus charitatis, quo illum summe amant. Hinc enim sequitur illud gaudium et immensa illa delectatio de bonis Dei, seu gustus beatus illius immensae suavitatis.

4. Quia ipse sibi ipsi est infinita dulcedo, tum objective, tum formaliter. Objective, quia ipse est objectum infinitae dulcedinis, in quo omne dulce, et delectabile eminentissime continetur. Formaliter, quia ipse de se ipso infinite gaudet et delectatur, et seipsum comprehensive videndo, a se ipso infinitam delectationem, et infinitum gaudium haurit. Imo, ipse est infinitus amor et infinitum gaudium, de se ipso, ut sic loquar, conceptum. Praeter hos modos, Jesus dicitur *dulcedo cordium* in Jubilo nobilissimo B. Bernardi, etiam meritorie: quia passionis suae amaritudine, nos ab aeternae damnationis amaritudine liberavit, et ad aeternam infinitamque dulcedinem divinae gloriae traduxit.

PRECATIO.

Ad dulcedinem Dei.

Ex lib. 7. *de Perfect.* cap. 3.

In te omnes deliciae et voluptates, omnes recreationes et amoenitates, omnia solatia et gaudia, omnis pulchritudo et felicitas, omnis beatitudo et consummatio. A te omnia dulcia suam trahunt dulcedinem, et omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia lucida suum splendorem, omnia viventia suam vitam, omnia sentientia suam sensionem, omnia vigentia suum vigorem, omnia intelligentia suam notionem, omnia perfecta suam perfectionem, omnia quomodolibet bona suam speciem et bonitatem. *Quid per bona fluxa, vel ista vel illa, inquiete vagaris infelix anima? quid carptim varia delibas mella? Transvola ad Deum, qui est omne bonum, et in quo quietissime ipsa dulcedo in suo fonte gustatur. Da mihi ita sapere, o Deus meus.* Amen.

CONSIDERATIO XIII.

De pulchritudine Dei.

Affectu grati stuporis.

Pulcher dicitur 1. tamquam fons omnis pulchritudinis in Angelis et hominibus, in coelis

et elementis, in animalibus et plantis, in gemmis, et margaritis, et ceteris rebus omnibus: omnia enim suam pulchritudinem et speciem tam internam quam externam, tam sensibilem quam intelligibilem, ab ipso, per ipsius sapientiam acceperunt.

Sunt autem *septem gradus pulchritudinis. Primus* et infimus est pulchritudo externa, quae cernitur oculis; ut in gemmis et floribus in specie et forma animalium, in viris et feminis, in stellis, luna, sole etc. Haec est pulchritudo, quam mortales tantopere mirantur et sequuntur.

Secundus gradus est in pulchritudine interna earum formarum, unde pulchritudo illa externa promanat. Haec incomparabiliter major est, et mirabilior, quia in simplici forma et virtute ineffabili modo continetur tota illa varietas, quae exterius in floribus, plantis, animalium structuris, coloribus et figuris, aliisque in rebus apparet. Sic in virtute seminis continetur tota structura, figurae, et colores plantarum et animalium.

Tertius gradus pulchritudinis est in vitis animalium, seu animabus sentientibus; in una enim simplici forma continetur vis sensuum, vis imaginationis, et appetitus sensitivi. Quae omnia sunt ita admirabilia, ut mens humana ne cen-

tesima quidem ex parte ea capere possit. Anima sentiens ita est elevata supra vegetantem, ut plus sit pulchritudinis in una sentiente, quam in omnibus vegetantibus simul junctis.

Quartus gradus est in anima rationali, quae incomparabiliter est pulchrior, quam animae sensitivae omnes simul junctae.

Quintus gradus est in natura angelica, quae adhuc longe sublimior ac splendidior est anima rationali.

Sextus gradus est Beatorum, quorum pulchritudo superat pulchritudinem totius universi, etiamsi tota in unam formam colligatur.

Septimus gradus est pulchritudinis divinae, in qua omnis pulchritudo naturalis et supernaturalis, corporalis et spiritalis omnium rerum creatarum et creabilium, eminentissime et unitissime continetur. Haec simul collecta in unum, comparatione illius est instar nihili. Unde conspectus divinae pulchritudinis incomparabiliter amplius recreabit et oblectabit beatos, quam aspectus gloriae Sanctorum et totius curiae coelestis ac totius universi; quamvis etiam hinc incredibilem voluptatem hausturi sint.

Dicitur *pulcher*, quia ipse formaliter est infinita pulchritudo, infinite vincens omnem pulchritudinem creatam et creabilem, et omnem

eam quam ipsa mens divina extra concipere potest. Unde est infinite amabilis et delectabilis, et habet vim infinitam alliciendi mentem ad sui amorem: et quamvis re ipsa non trahat mentes beatorum infinite, eo quod visio non sit perfectionis infinitae, ita tamen potenter trahit, ut omnes necessario illum ament, nec possint ullo modo suspendere aut cohibere amoris actum. Verum quo major haec necessitas amoris, eo mens beatior.

PRECATIO.

Ad pulchritudinem Dei.

Ex lib. 6. *de Perfect.* cap. 6.

Deus meus, amor ex quo omnes amores fluunt, cur non absumor hoc igne amoris tui! Deus meus, bonitas ipsa, per quem bona sunt omnia quae bona sunt, quare non amem te, cum sola amoris materia sit bonitas! Deus meus, pulchritudo, a quo omnis pulchritudo, quare non amo te, cum pulchritudo sic rapiat omnium corda ad se!

Tu fons omnis pulchri et amabilis, omnis formae et speciei, omnis ordinis et proportionis, omnis congruentiae et concordiae, omnis sympathiae et antipathiae. Tu omnibus in rebus naturam et speciem finxisti, et in omnium

rerum partibus consensum et analogiam, numerum et ordinem, mensuram et modum statuisti. Tu primaevum signaculum omnium, omnia penetrans puritate et subtilitate tua, intrinsecus formans pariter et disponens omnia in omnibus.

Et quamvis attingas a fine ad finem, a summis ad extrema, teque in omnia inseras: non tamen permisceris alicui, nec ullius attactu inquinaris, sed in tuo nitore et sinceritate perstas.

Domine, fecisti omnia qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim; sed neque ita pulchra sunt, neque ita bona sunt, neque ita sunt, ut tu creator eorum. Cujus comparatione neque pulchra sunt, neque bona sunt, neque sunt. Sero te amavi, o pulchritudo antiqua et nova! Sero te amavi! Vae animae meae audaci, quae speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram! Versa et reversa, et in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus requies.

CONSIDERATIO XIV.

De sanctitate Dei.

Affectu eminentis imitationis.

Sanctus dicitur 1. ut causa et fons omnis sanctitatis, suae pariter et hominum et Ange-

lorum: omnis enim sanctitas ab ipso est, tamquam ab infinito fonte puritatis et sanctitatis.

2. Dicitur *sanctus*, ut objectum et mensura omnis sanctitatis. Cum enim ipse sit infinita puritas, et infinite spiritalis, quo quis magis ad illum accedit per cognitionem et amorem, eo sanctior est. Ipsum enim cognoscere et amare eique amore sincerissimo inhaerere vera et formalis sanctitas est, qua omnis mens creata formaliter sanctificatur, et sancta dicitur.

3. Dicitur *sanctus*, non solum objective, sed etiam formaliter. Cum enim vera et formalis sanctitas consistat in cognitione et amore ipsius, et ipse se ipsum infinite cognoscat et amet et fruatur, manifestum est ipsius sanctitatem esse infinitam, et ipse infinite sanctum; imo ipsum esse ipsam sanctitatem infinitam; cum ipse sit cognitio, amor, et fruitio sui infinita.

4. Dicitur *sanctus*, quia quidquam ad rationem sanctitatis pertinet, ipse a seipso habet, idque cum infinita perfectione; cum enim duo ad eam requirantur, amor et objectum, seu puritas objecti, Deus utrumque a se habet. Ipse enim est amor infinitus sui, et ipse est objectum infinitae puritatis, in cujus amore consistit formalis sanctitas. Itaque ipse est infinita

sanctitas, tum formalis, tum objectiva; ipse per essentiam suam est mensura omnis sanctitatis et suae et omnium Angelorum ac hominum: ipse per amorem sui formaliter sanctus est, et ipsa sanctitas, et fons sanctitatis.

PRECATIO.

Ad sanctitatem Dei.

Ex lib. 8. *de Perfect.* cap. 4.

Nemo unquam tibi nisi per sanctitatem placuit; nemo qui ea praeditus et ornatus, tibi unquam displicuit. Haec sola filios tibi facit, et regni haeredes; huic soli consortium gloriae et beatitudinis tuae promissum, et ante tempora saecularia praeparatum; ad hanc ab aeterno a te praedestinati sumus *in Christo*, *ut* simus *sancti et immaculati in conspectu* tuo, et aeterna haereditate digni.

Non potentiam, non sapientiam, non majestatis tuae celsitudinem, sed sanctitatem tuam nos imitari voluisti, cum sic praecepisti: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Decet enim ipsum puritatis et sanctitatis fontem, omni puritate puriorem, omni sanctitate sanctiorem, ministros habere sanctos et ab omni peccati labe immunes. Sed unde nobis, qui luteas do-

mos incolimus, et in terrenis usu et cogitatione assidue versamur, tanta puritas, ut digne in conspectu et obsequiis tuis versari possimus? Si enim coelestes illi spiritus ab omni corporea concretione segregati et ipsis coelis mundiores, adhuc infinite absunt ab ea puritate quae ministerio tuo congruit; quanto nos intervallo ab ea distamus, qui ab illis incomparabiliter superamur? Sed haec est benignitas tua, quae servos suos, licet peccatores, et terrenorum pulvere adspersos, non rejicit, sed potius ad se allicit, ut labes abstergat, tenebras illuminet, affectus sanctificet, et dignos praesentia vultus tui pro modulo naturae mortalis efficiat. Non requiris a nobis quod sanctitatis tuae celsitudini est debitum, sed quod nostrae mortalitatis imbecillitati consentaneum.

Supple, Domine, quod deest nobis, et fac, ut crescamus in justitia et sanctitate, quoniam filii sanctorum sumus, et voluntas tua est sanctificatio nostra, et qui sanctus est ut sanctificetur adhuc. Amen.

CONSIDERATIO XV.

De simplicitate Dei et puritate.

Affectu transformationis in Deum.

Simplex dicitur, 1. quia est expers omnis compositionis, tam accidentariae, quam essentialis; non enim est concretus ex corpore et anima, ex materia et forma sicut animalia et plantae; neque ex partibus integrantibus, sicut omnia corporalia, sive substantiae sint, sive accidentia; neque in eo est compositio subjecti et formae accidentalis, sicut in omnibus substantiis creatis, etiam Angelis, qui tamen inter omnes res creatas sunt simplicissimi; neque compositio modi et modificati, sicut in omnibus rebus creatis tam accidentibus quam substantiis. Cum enim omnes sint limitatae et imperfectae, egent variis modis quibus intrinsece limitentur, vel aliis uniantur, ut sic perficiantur, vel statum debitum consequantur. Omnia enim corpora et accidentia corporalia, quae sunt in mundo, habent modum quendam extensionis, densitatis, raritatis, limitationis, secundum quantitatem, figuram, et situm in loco. Omnes substantiae spiritales et earum formae accidentales sunt definitae et conclusae

certo spatio, ultra quod non possunt se extendere: intra quod infinitis modis possunt se contrahere. Omnes formae tam substantiales, quam accidentariae habent modum quendam inhaesionis, informationis, et unionis cum suo subjecto, et omnia subjecta habent unionem cum suis formis et accidentibus. Omnes partes rei continuae habent modum quendam unionis inter se. Similiter omnes gradus formarum quae possunt intenti et remitti, habent quandam inter se unionem per intimam quandam et mutuam penetrationem et cohaesionem. Secundum hosce modos, in rebus creatis quotidie fiunt innumerabiles mutationes, quibus semper aliter, et aliter se habent; quarum omnium Deus prorsus est incapax, cum omnino sit illimitatus, et per essentiam suam undequaque perfectus, et supra omnia creata infinite elevatus, ita ut a nulla re creata affici vel tangi queat.

2. *Simplex* dicitur, non solum quia est expers omnis compositionis, sed etiam quia est infinite purus, subtilis, ac spiritualis, et supra omnia corporalia et spiritualia sua puritate infinite elevatus. Quo enim res aliqua est purior et subtilior, eo est simplicior. Unde etsi elementa sint expertia omnis compositionis

essentialis, ut multi tenent, et hac ratione sint aeque simplicia; tamen si puritatem spectemus, aliud alio est simplicius. Aqua enim est simplicior terra et aër aqua; et coeli puriores ac simpliciores elementis. Quare cum essentia divina sit infinitae puritatis ac sublimitatis (utpote purus actus infinite elevatus non solum supra omnia corpora, sed etiam supra omnes spiritus creatos et creabiles) merito infinite simplex censenda est; ita ut omnes spiritus Angelici, ipsius comparatione, non videantur esse spiritus, sed naturae crassae, impurae et concretae instar corporum. Ratione hujus et subtilitatis et simplicitatis fit 1. ut ipse omnia penetrare et pervadere possit, et omnibus rebus intime praesens existere, omniaque intus in abscondito creare, formare, conservare, perficere, tenere et omnibus occultissime cooperari. Vide lib. Sapientiae cap. 7. v. 22. et 23.

3. Ratione hujus simplicitatis fit, ut Deus sit infinite perfectior et excellentior, quam si haberet omnes perfectiones per diversas formas inter se compositas et unitas: quia infinite perfectius et excellentius et sublimius est, habere omnes perfectiones per unam simplicissimam formam, quam per formas diversas;

formae enim diversae sunt limitatae secundum certam speciem, unde non possunt constituere Deitatem, vel esse ipsa Deitas. Illa vero forma, quae in summa simplicitate omnem perfectionem continet, necessario est illimitata et infinita, et ens a se; unde est ipsa Deitas.

PRECATIO.

Ad simplicitatem et puritatem Dei.

Ex lib. 7. *de Perfect.* cap. 3

Vae miseris, qui extra te per rerum infimarum multiplices classes et inextricabilem multitudinem divitias, voluptates et honores, tanto labore, tanta solicitudine, tanto aeternae salutis periculo quaerunt!

Poterant haec omnia in te multo felicius et facilius invenire et possidere, non ad hujus dumtaxat vitae breve momentum, ut haec mundana, sed per totam aeternitatem. In te enim haec omnia sunt purissima, et simul collecta, et immensa. In te est auri decus, gemmarum pulchritudo, latifundiorum fructus, hortorum amoenitas, palatiorum magnificentia, oppidorum opulentia, regnorum gloria. Quidquid in his omnibus est suave, gloriosum, honorificum, amabile, id totum in te copiosissime, purissime,

unitissime et sempiterne continetur, omnibus imperfectionibus, quae in creatis bonis reperiuntur, semotis.

Si ita est, quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum? Concede mihi, o unicum bonum meum et omne bonum, te unum quaerere, te unum invenire, te unum amare, te uno frui, te unum tota anima possidere, et in hac vita et in altera. Amen.

CONSIDERATIO XVI.

De immutabilitate Dei.

Affectu perseverandi in obsequio Dei.

Immutabilis dicitur 1. ut causa omnis firmitatis et immutabilitatis in rebus creatis. Ipse enim mundum, totumque universum in suo esse, in suo loco, in statu gloriae, quam peracto judicio universali virtute divina accipiet, immutabiliter in aeternum conservabit; similiter Angelos et homines, quod ad naturam ipsorum et statum gloriae vel damnationis attinet.

2. Quia nulla quantumvis minima potest ei fieri accessio vel decessio: non substantiae, non potentiae, non magnitudinis, non perfectionis, non intellectionis, non volitionis, non loci, non

situs, non modi alicujus, qualiscunque demum is sit. Pereant omnes homines, omnes Angeli, totus mundus, omnia redeant in nihilum; ipse nihil in se amittet, ipse aeque plenus gaudio, plenus beatitudine et omnibus bonis affluens erit. Omnia enim illa retinet in luce sapientiae, et in omni potentia virtutis suae, in qua illi semper omnia sunt praesentia, eaque immutabiliter possidet, ita ut nullo modo possint ipsi excidere; et ad minimum nutum ipsius omnia rursum in suis naturis existent, ipsique servient. Unde rerum omnium interitus nihil ei damni afferre potest: quod insinuatur Psalmo 91: *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum, et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in saeculum saeculi, tu autem altissimus in aeternum, Domine.* Quasi dicat: Tu ex interitu illorum, nihil de tua celsitudine et gloria amittes.

Ratio immutabilitatis ipsius est, quia quidquid se habet vel habere potest, habet actu per suam essentiam. Unde non potest ei novi aliquid accedere vel decedere, nisi essentia aliquo modo varietur, quae prorsus est immutabilis, utpote infinite supra omne mutabile elevata.

PRECATIO I.

Ad immutabilitatem Dei.

Ex lib. 3. *de Perfect.* cap. 4.

Tibi Regi saeculorum immortali et invisibili, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, soli Deo et Domino meo, *honor et gloria* ab omni creatura in terra et in coelo, et supra omnem creaturam in altissima et inaccessibili luce sapientiae et divinitatis tuae. Tu omnis immortalitatis et stabilitatis auctor, tu gluten et nexus omnium.

Per te angelicae naturae et animae rationales et immortales et inexterminabiles constant. Per te coelorum firmitas, qui solidi velut *aere fusi sunt.* Per te *terra in aeternum stat*, suis librata ponderibus in medio universi, tamquam centrum immobile. Per te elementorum et materiae indissolubilis natura. Tam potenti manu his omnibus speciem impressisti, ut nulla arte eradi, tam valide contines intrinsecus, et cohaerere facis, ut nulla vi possint dissipari.

Interea sicut aquae dilabimur, et tantum inconstantia stabiles sumus, in omnem casum pronissimi. Sed tu, Domine, qui posuisti firmamentum in medio aquarum, qui mare rubrum in marmoreos parietes erexisti, confirma super nos

oculos tuos, et da nos in columnam ferream, et murum aeneum. Adde fidei nostrae robur, spei nostrae firmitatem, charitati nostrae constantiam, et in omni bono opere perseverantiam. Amen.

PRECATIO II.

Ad eandem, ibidem

Aufer a nobis mentis inconstantiam, ne in bono proposito fluctuemus, neve unquam deseramus quod semel a nobis bene occoeptum. Nihil enim magis noxium ad profectum, quam instabilitas animi nusquam consistentis, et levi momento huc illuc instar arundinis impulsi.

O beatae mentes, quid existis in anima mea videre, quid existis videre? Certe nihil aliud nisi arundinem vento agitatam, et folium, et lanuginem, omni flatu mobilem. Sed quamdiu sic et sic in diversa, per diversa rapiar? O columnae coeli, quis mihi dabit, ut velut hedera vobis innitar, vobis inhaeream, per vos ascendam ad immutabilem Deum? Non desinam invocare vos donec ponam in petra pedes meos, nec amplius moveantur vestigia mea.

CONSIDERATIO XVII.

De Deo, ut est pater futuri saeculi. Isai. 9.

Affectu filialis amoris.

Hoc nomen convenit Christo duplici ratione, secundum humanitatem et secundum divinitatem; et quatenus secundum divinitatem ei tribuitur, convenit etiam toti Trinitati. Dicitur itaque *pater futuri saeculi:*

1. Quia est auctor et propagator omnium justorum et filiorum Dei, qui erant futuri tempore novi testamenti, et omnium bonorum istius status; sicut enim omnes Judaei secundum carnem propagati sunt ex Jacob per duodecim filios, veteris testamenti patriarchas; ita omnes justi, qui sunt Judaei et Israelitae spiritales, propagati sunt a Christo, qui fuit verus Israel, per duodecim Apostolos, novi testamenti patriarchas. Vocatur autem hoc tempus, saeculum venturum, quia tempore veteris testamenti erat in summa expectatione.

2. Altiori modo, quia est auctor et parens omnium beatorum hominum, qui in futuro saeculo post resurrectionem regnabunt in coelo. Ab ipso enim omnia sua bona acceperunt: ipse eos ab aeterna morte liberavit, ipse illis

omnia salutis media, omnemque gratiam, qua vitam aeternam obtinere possent, meruit.

Itaque ipse est auctor omnis gloriae corporis et animae, qua in coelo fulgebunt. Ipse inter Sanctos erit sicut sol inter sidera. Quare cum ipse suis meritis sit causa hominibus illius beatissimi status, et omnis gloriae, quam ibi obtinebunt, merito dicitur *pater futuri saeculi.*

3. Dicitur *pater futuri saeculi* secundum divinitatem. Nam divinitas causa fuit quod Christus genus humanum redemerit, et a divinitate merita vim illam nos salvandi habuerunt. Denique divinitas est causa principalis efficiens omnium donorum gratiae et gloriae, et illius certissimi status. Unde Christus, quatenus Deus, non solum est *pater futuri saeculi*, qua parte hoc saeculum complectitur homines beatos (sicut quando consideratur ut homo), sed etiam qua parte complectitur Angelos. Nam Angeli omnem suam gloriam, et esse suum deiforme habent a Christo, non ut est homo, sed ut est Deus. Unde omnes sunt filii Dei, utpote deificati et deiformes per dona gloriae.

PRECATIO.

Ad Deum, ut est pater futuri saeculi.

Ex lib. 9. *de Perfect.* cap. 5.

Saepe dixi, Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus; serviam tibi omnibus diebus vitae meae: jam clamabo, Abba pater amabo te, quia ego filius tuus, et filius ancillae tuae, id est, Matris tuae, id est, Ecclesiae tuae, id est, congregationis hujus sanctae tuae. Et quare non amem te?

Siquidem reducere nos per amorem instituisti in nostrum principium, unire tuae bonitati et pulchritudini, transformare in te ipsum. Nullus erat ad hoc efficacior modus quam amoris. Amor enim est vis ecstatica et unitiva, faciens, ut a nobis excedamus et in te transferamur. Non poteramus in te mutari per naturam, esse nostro creato salvo manente, sine quo nullius rei sensum, nullam capacitatem boni habere possumus, cum absque eo mera vanitas simus, et nihil. Quod fieri non poterat per naturam, molitus es per amorem. Hunc mille modis in nobis accendis, ut ejus ardore in te colliquescamus et absorbeamur, sicut aquae gutta in vini dolium immissa, in vinum convertitur, si colorem et saporem spectes,

salva manente aquae substantia. Amor enim facit amantem affectu et sensu a se deficere et in dilectum mutari, ut nullum inter se et dilectum percipiat discrimen. Ita enim amantem erga dilectum afficit, ut quantum in se est, vi affectus suum esse exuat, ut induat dilectum unumque cum illo evadat. Nihil amplius de se suisque commodis cogitat, non secus ac si jam in natura rerum esse desiisset; sed totus cogitatione et affectu est in dilecto, ejusque dumtaxat bona cogitat, desiderat, et procurat. Tunc potest dicere cum Apostolo: *Vivo, non jam ego, vivit vero in me Christus.* Sic amor facit hominem oblivisci sui, a se deficere, sibi mori, et vivere in dilecto. Hoc modo qui adhaeret Deo, unus spiritus cum illo efficitur. Haec est perfectio et consummatio Sanctorum, et vita aeterna, unum cum Deo per vim amoris effici.

Sic ad exemplar nostrum primaevum revertimur, in quo ab aeterno extitimus, non per esse aliquod reale nobis intrinsecum, sed per vim ideae et conceptionis mentis divinae, quae facit ut in mente divina ab aeterno extiterimus, vixerimus et luxerimus, cum in nobis nihil essemus. Hinc per amorem processimus in nostrum esse creatum, sicut forma domus ab ar-

tifice prodit in opus et materiam, et sicut imago ex mente pictoris in tabulam. Huc rursus per amorem reducimur, et reducti unimur, et transformamur in ideam nostram, sicut si imago e tabula posset se in mentem pictoris penetrare et ibidem suo exemplari intime se conjungere.

Non potest id praestare imago mortui; sed potest imago vivi, potest anima mea ad imaginem Dei vivi efformata. Revertere igitur, revertere anima mea, revertere imago ad prototypon tuum; redi filia ad patrem tuum; osculetur te ille osculo oris sui; ama illum, adhaere illi, amplectere illum, fruere illo. O! si omni futuro saeculo. Amen.

CONSIDERATIO XVIII.

De beatitudine Dei.

Affectu fruitionis divinae.

Beatitudo formalis naturae rationalis, hominis et Angeli, consistit in clara visione Dei, summi boni nostri, ejusque amore et fruitione. Unde Dei beatitudo formalis consistit in clara visione sui, in sui amore et fruitione. Ipse enim sicut est summum bonum hominis et Angeli, ita etiam est summum bonum sui: nec

potest fingi aliud bonum ipso majus, aut excellentius, cujus visione et fruitione ipse sit beatus. Tantum itaque est bonum ipse Deus et divina essentia, ut sola ipsius visio et fruitio, seu gustus dulcedinis ipsius, etiam Deum ipsum beatum faciat, sicut amor sui facit ipsum justum et sanctum.

Itaque Deus *beatus* dicitur, quia se ipsum clare videt et amat, et se ipso fruitur, tamquam summo bono suo. Unde cum se ipsum comprehensive et infinite videat, et amet, et de se infinite gaudeat, necesse est ipsum infinite beatum esse, et ipsius beatitudinem formalem prorsus esse infinitam: nam isti tres actus prorsus adaequantur objecto quod prorsus est infinitum.

2. Dicitur *beatus*, quia per essentiam beatus est, sicut et infinitus et sanctus: imo ipse est sua beatitudo formalis. Ipse enim est sua visio, suus amor, suum gaudium, sua delectatio, etc. Non enim haec in ipso sunt accidentia, vel actus vitales eliciti vi luminis gloriae in intellectu vel voluntate ipsius, sicut in Angelis et hominibus; sed sunt ipsa simplex forma per se subsistens, quae est ipsius essentia, quod maxime est admirabile.

3. Dicitur *beatus*, quia non solum est sua beatitudo formalis, sed etiam est sua beatitu-

do objectiva, cujus visione et fruitione et ipse et omnes Sancti sunt beati: ipse enim non solum est sua visio, suus amor, suum gaudium; sed etiam est sua essentia, et suum summum bonum, et objectum, in quo omne bonum, cujus visione et fruitione et ipse beatus est, et omnes Sancti beatificantur. Itaque ipse et ex parte actus, ut sic loquar, et ex parte objecti, a se beatus est; atque adeo est sua beatitudo tam formalis quam objectiva.

4. *Beatus* dicitur tamquam auctor omnis beatitudinis in Angelis et hominibus. Ipse enim illos condidit ad imaginem et similitudinem suam, ut eos beatitudinis suae faceret participes; deinde eis gratiae dona infudit, quibus possent eam mereri, ejusque se dignos praestare; et perseverantibus in statu gratiae post mortem infundit lumen gloriae, ut eum clare videre, ejusque dulcedine et pulchritudine frui possint, in quibus actibus consistit nostra beatitudo. Quare cum omnis beatitudo ab ipso descendat, sitque participatio quaedam beatitudinis ipsius, necesse est ipsum modo infinite excellentiori beatum esse.

PRECATIO I.

Ad beatitudinem Dei.

Ex lib. 9. *de Perfect.* cap. 5.

O quando veniam, et apparebo ante faciem tuam? quando satiabor gloria tua? quando totus et totaliter amabo te, et te solo fruar? Per amorem ad nos descendis, ut amoris in nobis ardorem accendas, et per illum sursum corda nostra rapias, et in te convertas. Sicut ignis vi ardoris sui omnia in se convertit, sic tu ignis consumens, vi amoris. Accende corda nostra igne amoris tui, et ea in te converte, ut nihil praeter te et tua cogitemus, nihil sapiamus, nihil sentiamus, nihil loquamur, nihil optemus. Ille nos excedere faciat a nobis, nostrique, quasi non simus, oblivisci, et in te migrare, in te commorari, vivere et delectari; ille vitam nostram gloriae tuae impendere, nulla pericula formidare, nullos labores detrectare. Ille omnia mundana nobis vertat in amaritudinem, et omnia aspera pro te suscepta in dulcedinem, ut contumeliam putemus gloriam, inopiam divitias, persecutiones prosperitatem, infamiam nominis celebritatem, morbos solatia, mortem vitam. Omnia enim hujus vitae mala amore tui tolerata, meliora sunt omnibus hujus

saeculi bonis: si enim compatimur, et conregnabimus. Per illum tu nobis sis vita et refectio, domicilium et possessio, divitiae et gloria, fortitudo et refugium, quies et solatium, protectio et securitas, gaudium et beatitas. *Amen.*

PRECATIO II.

Ad eandem beatitudinem Dei.

Ex lib. 14. *de Perfect.* cap. 6.

Infinitum inter te et nos est intervallum, non loci, sed naturae; ut qui infinite supra omnia elevatus superemines, intercedentibus infinitis rationalis naturae gradibus, quos in tua sapientia et potentia dispositos contines: nihilominus tanta est potentia bonitatis tuae, ut mentem nostram supra omnia creata et creabilia elevare possis, et miro modo absque medio tibi per visionem, amorem, et gaudium conjungere. O admirabilem, beatam gloriosam unionem, in qua simul et summum bonum nostrum, et summa gloria tua reposita! per illam enim efficimur participes divinitatis, et omnium bonorum ac gaudiorum tuorum; et per eandem divinitas tua summe fulget extra se in speculo mentis creatae, sicut intra se fulget sibi. In aliis

rebus creatis, ut in mundi fabrica, et variis rerum gradibus, elucent tenues quidam radii divinitatis tuae, ex quibus tuam potentiam, sapientiam, bonitatem quasi conjectando cognoscere possumus: et in mente nostra sic elevata et unita tibi splendet tota divinitatis plenitudo, totaque relucet ejus pulchritudo, ita ut quamvis in se unica sit, miro tamen modo multiplicetur, ut tot videantur esse divinitates, quot sunt beatae mentes. In hac unione omnia bona nobis affluent, eritque omnium nostrorum desideriorum consummatio: affluet potentia, quia erimus reges et filii Dei; affluet sapientia, quia ipsum sapientiae fontem tenebimus et contemplabimur; affluet sanctitas, quia eximius ille amor est summa sanctitas, et omnium virtutum perfectio; affluent divitiae, quia regnum coelorum et omnes ejus opes nostrae erunt; affluent honores, quia omnes tamquam filii Dei excipiemur et honorabimur; affluet pulchritudo, quia corpore instar solis fulgebimus, mente instar divinitatis; affluent gaudia et delectationes, quia omnes *inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Sicut enim erit incomprehensibilis copia bonorum, ita etiam erit et gaudiorum ac delectationum. Affluet pax et securitas, quia nihil nec

foris, nec intus unquam turbare poterit; nihil accidere triste vel quod minus gratum: simulque certissimi erunt, hunc statum fore eis sempiternum.

Itaque haec unio, in qua et summum bonum nostrum et summa Dei gloria, nobis unice sit cordi, et ad eam supra omnia adspiremus. Bona hujus vitae quantumvis magna videantur, prae illo bono vilescant nobis omnia et instar nihili reputentur. Omnes nostrae cogitationes, curae et labores ad illud tendant, nec usquam nisi in illo sit menti nostrae requies. Verum, quia tantum bonum longe positum est supra vires nostras, ad te confugimus, o benignissime Deus, ut qui sola bonitate tua infinita nos ad tantum et tam sublime bonum ab aeterno destinasti, et ut ad illud nos perduceres, mundum condidisti, carnem assumpsisti, mortem sustinuisti, et alia innumerabilia designasti, benignitatem tuam in nos continues, neque illam ob ingratitudinem vel negligentiam nostram, vel alias humanae vitae labes, quae subinde per fragilitatem subrepunt, abrumpas vel imminuas; sed potius adaugeas, memor aeterni consilii tui et omnium miserationum tuarum, quas hactenus praestitisti nobis. Illumina mentes nostras lumine spiritus tui, quo et mundi

istius (cujus praestigiis plerique pereunt) vanitates, pericula, et aeternorum bonorum, quae nobis in te praeparasti, excellentiam et suavitatem possimus cognoscere. Fac ut illa nobis semper ob oculos versentur, et vehementer in animis nostris impressionem faciant, qua ad caducorum omnium contemptum, et ad aeternorum amorem ac studium impellantur. Nunquam flaccescant desideria, suspiria, et conatus nostri, donec ad vitae hujus terminum perventum fuerit; in quo per gratiam tuam digni inveniamur regno tuo et quiete illa aeterna, qua omnes Sancti in te ultimo fine et summo bono suo, per visionem et amorem, cum ineffabili gaudio, omnium votorum suorum compotes effecti, requiescent. Amen.

Jaculatoriae precatiunculae fundatae in via unitiva singularum considerationum affectibus subservientes.

1. Affectus infimae adorationis.

Erga Deum, quatenus est primum rerum omnium principium.

Venite adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos: quia

ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, et oves pascuae ejus. Psalm. 94.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Genes. 27.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo. Psalm. 65.

Esto tu, Domine, principium meum, finis meus: ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia.

2. Affectus grati animi.

Erga Deum creatorem.

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Psalm. 115.

Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Psalm. 102.

Domine mi, ad hoc creasti me, ut amem te. Da mihi ut possim facere, ad quod creasti me. August.

Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu creasti omnia; et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. Apocal. 4.

3. *Affectus laudis divinae.*

Erga Deum conservatorem rerum omnium.

Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro, in saecula saeculorum: Amen. Apocal. 7.

Benedicite centesies millies omnia creata Dominum; quia centesies millies vos recreat Dominus. Ex libello 3.

In aeternum, Domine, permanet verbum tuum in coelo: in generationem et generationem veritas tua: fundasti terram, et permanet. Ps. 118.

4. *Affectus congratulationis.*

Erga infinitatem Dei.

Numquid laudabit te, Domine, qui, in peccatis conceptus est, et natus, et nutritus? non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Laudet te Domine Deus meus, incomprehensibilis potentia tua, incircumscriptibilis sapientia tua, et ineffabilis bonitas tua. August. Solil. c. 10.

Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis. Psalm. 144.

Tu Deus meus, et omnia mea; Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Auctor.

Laus tua, Domine, tu ipse es. Aug. Sol. c. 10.

5. Affectus admirationis.

Erga incomprehensibilitatem Dei.

Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in coelo desuper, et super terram deorsum. 3. **Reg.** 8.

Tu es Deus, qui facis mirabilia. **Psalm.** 76.

Excelsior coelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari. **Job** 11.

6. Affectus praesentiae divinae.

Erga invisibilitatem Dei.

Non longe es ab unoquoque nostrum, Domine. In te enim vivimus, movemur, et sumus. **Act.** 16.

Exulta, o anima mea, et cum omnia possidentem ita praesentem habeas, ne quaere foris, quod intus contines. Ut quid effundis cor tuum, et instabilis mente per multa vagaris! **August.**

Domine, quo ibo a spiritu tuo: aut quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. **Psalm.** 138.

7. Affectus amoris et zeli.

Erga ineffabilitatem Dei.

O vita per quam vivo, sine qua morior, ubi quaeso es? ubi te inveniam? Prope esto in ani-

mo, prope in corde, prope in ore, prope in auribus, prope in auxilio: quia amore langueo, quia sine te morior. Aug. Solil. c. 1.

A, a, a, Domine Deus. Ecce nescio loqui: quia puer ego sum. Jerem. 1.

Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, et ne repellas in finem. Psalm. 43.

O ignis, qui semper ardes, et nunquam extingueris, accende me. August. Solil. c. 34.

O beatum incendium, amare Dei Filium!

8. *Affectus aspirandis ad bonum immortale.*

Erga immortalitatem Dei.

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Cant 1.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. Psalm. 41.

Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie; ubi est Deus tuus? Ibidem.

Quam sordet mihi terra, dum coelum aspicio! S. Ignatius.

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Psalm. 62.

Educ de custodia, Deus, animam meam: me expectant justi, donec retribuas mihi. Ps. 141.

Ego autem in injustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua. Ps. 15.

9. Affectus unionis cum Deo.

Erga altitudinem Dei.

Mihi adhaerere Deo, bonum est. Psalm. 72.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. 7.

Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est. Psalm. 119.

Hei mihi! quam excelsus es, Domine, in excelsis, et quam profundus es in profundis, et nunquam recedis, et vix redimus ad te. Aug.

O anima animae meae! O vita vitae meae! Te totum desidero, et me totum tibi offero. Granat.

Clamavi ad te, Domine! dixi, tu es spes mea: portio mea in terra viventium. Psalm. 141.

10. Affectus gaudii de bonis Dei.

Erga immensitatem Dei.

Psallite Deo nostro, psallite, psallite: Regi nostro, psallite! quoniam Rex omnis terrae Deus: psallite sapienter. Psalm. 46.

Benedicat te, Domine immensitas tua, et su-

pereminens magnitudo tua magnificet te! Ex libello 3.

Repleatur os meum laude: ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Psalm. 70.

Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria, in saecula saeculorum Amen. 1. Tim. 1.

Omnes gentes plaudite manibus; jubilate Deo in voce exultationis. Psalm. 46.

11. Affectus complacentiae in bono increato.

Erga bonitatem Dei.

Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in saeculum misericordia ejus. Psalm. 106.

Appare mihi, delectatio mea magna, solatium meum dulce: Dominus Deus meus, vita mea, et gloria tota animae meae. Aug. Solil. c. 1.

Laudate Dominum; quia bonus Dominus: psallite nomini ejus; quoniam suave. Psalm. 134.

Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria ejus. Psalm. 88.

12. Affectus quietis in Deo.

Erga dulcedinem Dei.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te. Psalm. 30.

Suavis Dominus universis: miserationes ejus super omnia opera ejus. Psal. 144.

Creasti nos, Domine, ad te; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. August.

Absorbeat, Domine, mentem meam ab omnibus quae sub coelo sunt ignita et melliflua vis amoris tui; et tibi soli inhaeream, solaque tuae suavitatis memoria pascar! August.

13. *Affectus grati stuporis.*

Erga pulchritudinem Dei.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Cant. 2.

Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Cant. 2.

Deus meus, pulchritudo, a quo omnis pulchritudo, quare non amo te, cum pulchritudo sic rapiat omnium corda ad se! August.

Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, et tam nova! sero te amavi! et tu intus eras, et ego foris: et ibi te quaerebam, et in ista formosa quae fecisti, ego deformis irruebam. August. Solil. c. 31.

Dilectus meus candidus et rubicundus: dilectus ex millibus. Cant. 5.

14. Affectus eminentis imitationis.

Erga sanctitatem Dei.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est! Apocal. 4.

Non est sanctus ut est Dominus: neque enim est alius extra te: et non est talis sicut Deus noster. 1. Reg. 2.

Psallite Domino Sancti ejus: et confitemini memoriae sanctitatis ejus. Psalm. 29.

Ignis sancte, quam dulciter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris! Vae iis qui non ardent ex te! Vae illis qui non illuminantur ex te! August. Solil. c. 34.

Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Psalm. 17.

15. Affectus transformationis in Deum.

Erga simplicitatem et puritatem Dei.

Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur: sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. Rom. 14.

Dilectus meus mihi, et ego illi; qui pascitur inter lilia. Cant. 2.

Quisquis, bone Jesu, cognoscit te, diligit te;

obliviscitur se, et amat te plusquam se; relinquit se, et venit ad te. August. in Soliloq.

Pater, mea omnia tua sunt: et tua mea sunt. Joan. 17.

Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint. Ibidem.

16. Affectus perseverandi in obsequio Dei.

Erga immutabilitatem Dei.

Quis me separabit a charitate Dei? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Rom. 8.

Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum. Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum. Psalm. 17.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Psalm. 16.

Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos. Psalm. 5.

Da mihi, Domine, perseverantem in tuo famulatu voluntatem. Auctor.

17. Affectus filialis amoris.

Erga Deum, ut est pater futuri saeculi.

Filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt; inebriabuntur ab ubertate domus

tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos. Psalm. 35.

Ostende te mihi, consolator meus: videam te, lumen oculorum meorum: veni, gaudium spiritus mei: videam te, laetitia cordis mei: diligam te, vita animae meae. August. Solil. c. 1.

Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset apud te. Joan. 17.

O vita, sine qua morior! O veritas sine qua fallor! O via, sine qua devio! O salus, sine qua pereo! O lumen, sine quo in tenebris ambulo! In te solo vivo, et sine te morior. In te aliquid sum, extra te nihil. Granatensis.

18. Affectus fruitionis divinae.

Erga beatitudinem Dei.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Psalm. 83.

Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Psalm. 26.

Beati qui habitant in domo tua, Domine in saecula saeculorum laudabunt te. Ibidem.

Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo; quoniam elegi eam. Psalm. 13.

Litaniae de nominibus Dei

servato ordine, quem in hisce superioribus libellis secuti sumus.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Deus abyssus divinitatis,
Deus qui es,
Deus salus nostra,
Deus gloria nostra,
Deus aeterne,
Deus judex vivorum et mortuorum,
Deus domine rerum omnium,
Deus domine dominantium,
Deus rex regum,
Deus rex saeculorum,
Deus deorum,
Deus gubernator noster,
Deus misericors,
} miserere nobis.

Deus patiens,
Deus longanimis,
Deus clemens,
Deus spes nostra,
Deus vita nostra,
Deus protector noster,
Deus adjutor noster,
Deus susceptor noster,
Deus ultime finis omnium,
Deus sanctificator noster,
Deus redemptor noster,
Deus juste,
Deus vere,
Deus fidelis,
Deus illuminator noster,
Deus lux nostra,
Deus omnipotens,
Deus refugium nostrum,
Deus benigne,
Deus pater noster,
Deus provisor noster,
Deus sapiens,
Deus zelotes gloriae tuae,
Deus pax nostra,
Deus fortitudo nostra,
Deus firmamentum nostrum,
Deus principium rerum omnium,

} miserere nobis.

Deus creator noster,
Deus conservator noster,
Deus infinite,
Deus incomprehensibilis,
Deus invisibilis,
Deus ineffabilis,
Deus immortalis,
Deus altissime,
Deus immense,
Deus optime,
Deus dulcissime,
Deus pulcherrime,
Deus sanctissime,
Deus simplicissime,
Deus immutabilis,
Deus pater futuri saeculi,
Deus beatissime in te ipso,

miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

Vers. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos a malo.
Vers. Domine, exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, cujus magnitudinis non est mensura, cujus sapientiae non est finis, cujus misericordiae non est numerus, da quaesumus, per invocationem ineffabilium *nominum tuorum*, ut cum omnibus electis nostrum omnium nomina scribantur in coelis. Per Dominum nostrum.

ALIA ORATIO.

Deus, qui incomprehensibilium perfectionum tuarum vestigia, tribus digitis sapientiae, potentiae, et bonitatis tuae creaturis tuis mirabiliter inprimis, concede famulis tuis, ut eos, a quibus infinita misericordiae dignatione dulcissimo Patris nomine compellari voluisti, ita filiorum sublimitatem agnoscere facias, ut perfectionum tuarum imitatores effecti, perfecti sint, sicut tu Pater noster coelestis perfectus es. Per Dominum nostrum etc.

ALIA ORATIO.

Sancti *nominis tui*, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum; quia

nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM EX HOC NUNC ET USQUE IN SAECULUM. Psalm. 112.

INDICULUS

rerum hoc opusculo comprehensarum.

Prolocutio auctoris 5
Aliud praeambulum, de oratione et optimo orandi modo 7

LIBELLUS I.

Considerationes viae purgativae, pro incipientibus.

Primus passus.

Actus fidei. Documentum 20
Consideratio de Deo, et Divinitate 21
Precatio. Ad Deum et Divinitatem 25
Modus legendi hanc orationem et sequentes . 26
De ipso esse, et qui est 27
Precatio. Ad ipsum esse, et qui est . . . 28
De Deo, ut est salus nostra 29
Precatio. Ad Deum, ut est salus nostra . . 30
De Deo, ut est gloria nostra 31
Precatio. Ad Deum, ut est gloria nostra . . 32
De aeternitate Dei 34
Precatio I. Ad aeternitatem Dei 40
Precatio II. Ad eandem 42
Precatio III. Ad eandem 43

Secundus passus.

Actus timoris. Documentum 45
Consideratio de Deo, ut est judex vivorum et mortuorum 45
Precatio I. Ad Deum judicem, etc 48

Precatio II. Ad eundem 51
De Domino rerum omnium, Domino dominantium, rege regum, etc. 53
Precatio I. Ad Dominum rerum omnium . . 57
Precatio II. Ad eundem 59
De Deo gubernatore 61
Precatio. Ad Deum gubernatorem 62

Tertius passus.

Actus spei. Documentum 65
Consideratio de misericordia Dei 66
Precatio. Ad misericordiam Dei, seu primus gradus misericordiae 67
Secundus gradus misericordiae 68
Tertius gradus misericordiae 69
De patientia et longanimitate Dei 72
Precatio I. Ad patientiam et longanimitatem Dei 74
Precatio II. Ad eandem 76
De clementia Dei 77
Precatio. Ad clementiam Dei 78
De Deo, ut est spes nostra 84
Precatio. Ad Deum ut est spes nostra . . 84

Terminus viae purgativae.

Actus contritionis. Documentum 87
Consideratio de Deo, ut est vita nostra . . 89
Precatio. Ad Deum, ut est vita nostra . . 91
De Deo protectore 92
Precatio. Ad Deum protectorem 95
De Deo adjutore 97
Precatio. Ad Deum adjutorem 98
De Deo susceptore 99

Fundamentum contritionis est amor Dei super omnia 101
Praxis contritionis 104
Jaculatoriae precatiunculae, fundatae in via purgativa, ad excitandam fidem 107
Ad excitandum timorem 107
Ad excitandam spem 108
Ad excitandam contritionem 108

LIBELLUS II

Considerationes viae illuminativae, pro progredientibus.

De generali virtutum augmento, deque primis ejusdem augmenti principiis. Documentum 110
Consideratio de Deo, ut est ultimus finis omnium 112
Precatio. Ad Deum, qui est ultimus finis omnium 115
De Deo sanctificatore 118
Precatio. Ad Deum sanctificatorem . . . 119
De Deo redemptore 120
Precatio. Ad Deum Patrem et Filium, expendens beneficium redemptionis 121
Horologium ss. Passionis 125
Precatio alia. Ad eundem, per Sacramenta, velut causam instrumentalem, nostrae salutis auctorem 131
De justitia Dei 133
Precatio. Ad justitiam Dei 134

De speciali incremento virtutum theologicarum.

Documentum 137
Consideratio de veritate et fidelitate Dei . . 137

Precatio. Ad veritatem et fidelitatem Dei . . 141
De Deo illuminatore et luce 142
Precatio I. Ad Deum illuminatorem et lucem 144
Precatio II. Ad eundem 145
De omnipotentia Dei 146
Precatio. Ad omnipotentiam Dei 148
De Deo, ut est refugium nostrum 149
Precatio ad Deum, ut est refugium nostrum . 151
De benignitate Dei 153
Precatio. Ad benignitatem Dei 155
De Deo, ut est pater noster 156
Precatio ad Deum creatorem et patrem rerum omnium 158

De speciali incremento virtutum cardinalium.

Documentum 161
Consideratio de Deo provisore Deique providentia 162
Precatio I. Ad providentiam divinam . . . 164
Precatio II. Ad eandem 166
Precatio III. Ad eandem 168
De sapientia Dei 169
Precatio I. Ad sapientiam Dei 171
Precatio II. Ad eandem 173
De Deo, ut est zelotes 175
Precatio. Ad Deum, ut est zelotes 176
De Deo, ut est pax nostra 179
Precatio. Ad Deum, ut est pax nostra . . . 180
De Deo, ut est fortitudo nostra 182
Precatio. Ad Deum, ut est fortitudo nostra . 183
De Deo, ut est firmamentum nostrum . . . 184
Precatio. Ad Deum, ut est firmamentum etc. 185

Jaculatoriae precatiunculae, fundatae in vita illuminativa, pro generali virtutum augmento 186
Pro speciali incremento virtutum theologicarum 187
Pro speciali incremento virtutum cardinalium 189

LIBELLUS III.

Considerationes viae unitivae, pro perfectis.

Cui praemittitur tractatus de unione contemplativorum cum Deo in hac mortali vita per sublimissimam operationem intellectus et voluntatis. Ex l. 2. de Summo bono.
Praemonitio, ad contemplationis omnisque perfectionis studiosos 191
Cap. I. Tres modi, quibus Deus in hac vita creaturis suis, et maxime justis unitur . . . 193
Cap. II. De alio modo unionis, quo Deus in hac vita mentibus vere contemplativorum conjungitur 195
Cap. III. Quomodo modus iste unionis medius sit inter unionem quae fit in gloria, per visionem et amorem beatificum, ut inter unionem, quae fit in hac vita, cum auxilio ordinario, per actum fidei, spei, et charitatis 197
Cap. IV. Quod haec unio contemplativorum cum Deo consistat in actibus intellectus et voluntatis 200
Cap. V. De amore contemplativorum, quid sit 201
Cap. VI. De effectibus amoris divini. Et primo quidem de ecstasi 203
Cap. VII. De secundo effectu amoris, qui est unio amantis cum dilecto, et transformatio in dilectum 206

Cap. VIII. De quarta et quinta unione amantis cum dilecto, quarta quidem, quae fit per sublimem contemplationem, quinta vero, quae fit per quandam liquefactionem et demersionem in abyssum Divinitatis 209
Cap. IX. Quomodo haec liquefactio seu defectio per amorem dupliciter fieri possit . . 212
Cap. X. Quomodo dicantur intrare abyssum Divinitatis, et se in illa perdere 214
Cap. XI. Quomodo in amore sit perpetuus circulus et motus circularis 215
Cap. XII. Conclusio 216

Considerationes viae unitivae, pro perfectis.

Documentum 219
Considerationes de Deo, quatenus est primum rerum omnium principium 220
Precatio. Ad Deum, rerum omnium etc. . . 224
De Deo creatore 225
Precatio. Ad Deum creatorem 228
De Deo conservatore rerum omnium . . . 230
Precatio. Ad Deum conservatorem etc. . . 231
De infinitate Dei 233
Precatio. Ad infinitatem Dei 236
De incomprehensibilitate Dei 237
Precatio. Ad incomprehensibilitatem Dei . . 239
De invisibilitate Dei 240
Precatio. Ad invisibilitatem Dei 241
De ineffabilitate Dei 243
Precatio. Ad ineffabilitatem Dei 244
De immortalitate Dei 246
Precatio. Ad immortalitatem Dei 248

De altitudine Dei 249
Precatio. Ad altitudinem Dei 251
De immensitate Dei 252
Precatio. Ad immensitatem Dei 255
De bonitate Dei 257
Precatio I. Ad bonitatem Dei 258
Precatio II. Ad eandem 260
De dulcedine Dei 261
Precatio. Ad dulcedinem Dei 263
De pulchritudine Dei 263
Precatio. Ad pulchritudinem Dei 266
De sanctitate Dei 267
Precatio. Ad sanctitatem Dei 269
De simplicitate et puritate Dei 271
Precatio. Ad simplicitatem et puritatem Dei . 274
De immutabilitate Dei 275
Precatio I. Ad immutabilitatem Dei . . . 277
Precatio II. Ad eandem 278
De Deo, ut est pater futuri saeculi 279
Precatio. Ad Deum ut est pater etc. . . . 281
De beatitudine Dei 283
Precatio I. Ad beatitudinem Dei 286
Precatio II. Ad eandem 287
Precatiunculae jaculatoriae fundatae in via unitiva singularum considerationum affectibus subservientes 290
Litaniae de nominibus Dei 301

208.8
L 567

23992

LESSII, LEONARDI, S. J.

AUTHOR

De Nominibus Dei

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Hand	
	STORAGE - CBPL	

23992